UNIVERSITY OF ILLINOIS

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXXXXIII

AB DIE VIII. MAII VSQVE AD DIEM XVI. SEPTEMBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Inest Meieri Commentationis Andocidiae Sextae Particula Tertia
Sive De Lexicis Rhetoricis.

HALAE

TYPIS HENDELIANIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

GODOFREDVS BERNHARDY

CVM

DIRECTORE ET SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Inter Olympiada centesimam quadragesimam et Olympiada centesimam sexagesimam (a. Chr. 220—140) sive inter Ptolemaei IV. Philopatoris et Ptolemaei VIII. Soteris regna vixit etiam tum Crates, nobilis Pergamenus grammaticus, qui de Attica sive dictione sive dialecto libris si non pluribus, quinque dumtaxat scripsit, quos in verborum potissimum Atticorum explicatione versatos esse ex Athenaeo satis apparet [112]); tum Nicander Colophonius, non minus grammatici quam poetae et medici fama florentissimus, qui ut omnium utensilium [113]) nomina exposuisse videtur, ita glossas explicavit [114]); tum Apollodorus Atheniensis, discipulus Aristarchi Panaetiique, qui idem argumentum persecutus est [115]).

Tantos viros aut duces aut aemulos habebant, qui glossas sive promiscuas sive singulares vel unius gentis, urbis, regionis insulaeve, vel unius artis, vel

---

[112]) Cf. *Schweighaeuser*. Indicc. in Athen. p. 81., imprimis autem *Otto Schneider*. l. c. p. 88. Certum vero est libros *περὶ τῆς Ἀττικῆς λέξεως*, qui titulus semel reperitur apud ***Athen.*** IX, 366, d., non diversos fuisse ab libris *Ἀττικῆς διαλέκτου*, qui index saepius extat. Horum quintus liber ab ***Athen.*** XI, 497, e. in partes vocatur Hinc repetitae videntur Cratetis explicationes, quae apud ***Harpocr.***, *Suid.*, *Phot.* v. *προκώνια* et ap. *Phot.* v. *ῥῆσις* leguntur. [113]) Quae enim *Suid.* s. v. Nicandro Colophonio tribuit *περὶ χρηστηρίων πάντων βιβλία γ'*, his *Schweighaeuserus* animadvv. in Athen. T. 2. p. 299. docuit non omnia oracula sed utensilia omnia fuisse exposita. [114]) ***Athen.*** VII, 288, c. *Νίκανδρος ὁ ἐποποιὸς ἐν τρίτῳ γλωσσῶν*. ***Eustath.*** in Od. *μ*, 85. p. 1714, 36. *Νίκ. ὁ Κολοφώνιος ἐν γλώσσαις*, unde non dubito quin Colophonius significetur etiam ab eodem ***Eustath.*** Il. *Ψ*, 186, p. 1295, 5. *Νίκανδρος ἐν γλώσσαις*, ab *Schol. Arist.* Eq. 409. *Ν. ἐν τῷ περὶ τῶν γλωσσῶν*, ab *Schol. Hom.* Il. *Z*, 506. *I*, 324. *N*, 824. Od. *γ*, 444. et ab ***Athen.*** III, 105, c. 114, c. (verum hic locus fortasse non in glossis sed in Aetolicarum rerum libris extitit) XI, 485, d. Cf. *Schneider. Sax.* p. 307. Errat *O. Schneider.* p. 95., quod glossas ad Thyatirenum Nicandrum refert; cf. infra p. VIII. [115]) *Schol. Hom.* Il. Α, 244. *Ἀπολλόδωρος ἐν γλώτταις*. ***Athen.*** XIV, 646, c. *Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος καὶ Θεόδωρος ἐν Ἀττικαῖς γλώσσαις*, quamquam hic locus etiam hanc patitur explicationem, ut ad solum Theodorum referantur Atticae glossae. Ab glossarum libris Apollodori fuerintne plane disiuncti *ἐτυμολογουμένων* sive *ἐτυμολογιῶν* libri, propterea mihi dubium videtur, quod in his quoque de verborum non tantum originibus sed etiam significationibus disseruisse Apollodorum ***Athenaeus*** II, 63, c. XIV, 663, a. fidem facit. Si vero sunt diversi, quae ***Heynius*** in Apollodor. p. 443. sqq. rettulit ad etymologiarum, eorum pleraque non minus ad glossarum libros referri possunt.

unius scriptorum poetarumve generis, vel unius certi cuiusdam poetae scriptorisve explicare instituebant.

Promiscuas autem praeter Aristophanem Byzantium eiusque disciplinae alumnos Callistratum Artemidorumque et Diodorum, quos maiora glossarum corpora condidisse in priore commentatione significavimus, illas igitur scripserint primum Simmias Rhodius [116]), qui iam sub Ptolemaeo II. Philadelpho floruisse, atque Timachidas itidem Rhodius et Amerias Macedo [117]), qui ab illius temporibus non multum afuisse videntur; tum Silenus, qui fortasse inter Hannibalici belli et Ciceronis tempora vixit [118]); deinde Seleucus, qui, dummodo glossographus, id quod Kuestero aliisque placuit estque sane perquam simile veri,

---

[116]) Simmiam Rhodium grammaticum *Strab.* XIV, 655. inter eos nominat, qui patriam urbem fama nominis sui ornarint, cui quod subiungit *καὶ Ἀριστοκλῆς ὁ καθ' ἡμᾶς*, satis iam probat Simmiam Aristocle antiquiorem fuisse. Atque aliquanto eum priorem fuisse ex Hephaestione apparet, qui Enchir. c. 9. p. 54. Philiscum Corcyraeum, tragicum Pleiadis, quem Suidas auctor est sub Ptolemaeo Philadelpho vixisse, mentiri dicit, quod hexametri choriambici inventorem se iactet, quo genere iam *ante eum* Simmias sit usus; etenim cum ab eodem Simmia et tres glossarum libros et varia carmina scripta esse Suidas doceat, dubitari nequit quin Simmias poeta fuerit idem, qui grammaticus; erat igitur Simmias grammaticus certe non posterior Ptolemaeo Philadelpho. Non est autem dissimile veri etiam Timachidam popularem eius, quem cum eo *Athen.* XV, 677, c. in hunc modum coniungit: *Τιμαχίδας δὲ καὶ Σιμμίας οἱ Ῥόδιοι*, et Ameriam Macedonem, quem ille itidem cum Timachida copulat, eiusdem fere aetatis fuisse. Cf. de Simmia *Jacobs.* Anthol. XIII, p. 951. Simmiae glossis quater utitur Athenaeus non addito indice libri; quae ille VII, 327. inde profert, in suos usus derivavit *Eustathius* in Od. p. 1784, 41. [117]) Inter Silenum et Seleucum quod *Athen.* XV, 699, e. Timachidam et Ameriam interponit, hinc cave colligas hos ut Seleuco priores ita Sileno posteriores fuisse. Quod autem apud eundem *Athen.* bis (III, 114, c. IX, 369, a.) utriusque viri coniuncta extat memoria (illic *ὀνομάζουσιν Ἀμερίας καὶ Τιμαχίδας*, hic *Ἀ. δὲ καὶ Τιμ.*), semel disiuncta (III, 114, c.) *Ἀμερίας δὲ — ὁμοίως δὲ καὶ Τιμαχίδας*, semel (XV, 699, e.) *Τιμαχίδας δὲ ὁ Ῥόδιος — Ἀμερίας δὲ*, bis tantum unus *Ἀμερίας ὁ Μακεδὼν ἐν ταῖς Γλώσσαις* (IV, 176, c. et e.) nominatur, probat utriusque glossis, utut fuerint diversae, aliquam tamen intercessisse necessitudinem; atque erat eis sane illud certe commune, quod utrasque usurpavit Pamphilus, utrasque ex Pamphilo tum Athenaeus tum Diogenianus cognovit, ex Diogeniano autem recepit Hesychius (*Ranke* l. c. p. 113. sq. p. 118.). Ameriae glossis, de quibus diligenter scripsit *Rankeus* p. 117. sq., Aelium etiam Dionysium, qui sub Hadriano vixit, esse usum *Eustathius* probat in Od. ω, 208. p. 1958. pr. Idem in Il. *Ι*, 377 p. 757, 19. in explicatione proverbii *ἐν Καρὸς αἴσῃ* habet: *ὡς Ἀμερίας καὶ Νεοπτόλεμος οἱ γλωσσογράφοι*. Ad easdem Ameriae glossas spectat etiam Schol. Il. *Λ*, 754 p. 330, a. 29. Timachidas Rhodius tum commentariis et Aristophanis fabulas aliquot et Euripidis Medeam illustravit (Schol. in Med. 167, unde credibile est etiam in Schol. v. 1. Timachidae nomen reponendum esse, ubi in libris extat *ὁ δὲ Τίμαρχος*, quamquam secus statuit *Richter* de Aeschyl., Sophocl., Euripid. interpret. graec. p. 63.), tum heroicis versibus „coenam" vel „coenas" (*Δείπνων ἀναγραφάς*) libris si non pluribus certe undecim descripsit. Sed de glossis eius non habeo quod addam iis quae *Rankeus* p. 113. sqq. et *O. Schneider* p. 91. attulerunt, nisi illud unum, Timachidae nomen recte quidem ab Maussaco redditum esse Harpocrationi v. *ἀργάς*, satis autem inveteratum videri ulcus, cum quod in libris Harpocrationis, id etiam in Bekkeri Anecd. reperiatur: *Τίμαρχος ὁ Ῥόδιος*. [118]) Neque enim diversum arbitror Silenum glossographum ab Sileno eo, quem esse Hannibalis res diligentissime persecutum *Cicero* de div. I, 24. testatur; hunc autum „auctorem Graecum" in rebus Hannibalicis *Livius* quoque (XXVI, 49, 3.) et *Dionys. Halic.* A. R. I, 6. et hic quidem post Antigonum et Polybium commemoratos testem citat. Ab hoc Sileno distinguo Silenum Chium, scriptorem fabulosae historiae, quae ab *Tzetza* in Lycoph. 786. et ab *Eustath.* in Hom. Od. τ, 407. p. 1871, 21. (ubi legendum *ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν αὐτου μυθικῶν* pro *αὐτῶν*) diserte commemoratur; eius liber II. significatur a *St. Byz.* v. *Παλίκη*. Utrumque Silenum distinxisse videtur Eustathius, qui hoc loco *Σιληνὸς ὁ Χῖος*, in Od. η, 101. p 1571, 5. autem *κατὰ τὸν γλωσσογράφον Σιληνὸν* habet; locus haustus est ex *Athen.* XV, 698, e. Sileni glossographi nomen his ab Athenaeo praeponi Clitarcho supra not. 83. posui. Huius Sileni glossas aliquoties Athenaeus, semel *Schol. Apoll. Rhod.* Argon. I, 1299. commemorat.

non diversus fuerit ab Seleuco Alexandrino, qui Homerici cognomine erat et Romae bonas artes docebat commentarios autem fere in quosvis poetas scripsisse dicitur, in Augusti aetatem incidit[119]); denique Epaphroditus Chaeronensis, qui Romae vitam sub Nerone egit et ad Nervae usque imperium produxit[120]); postremum quorum incertior est aetas, Apollodorus Cyrenaeus[121]), Neoptolemus Parianus, Anicetus, Eumolpus, Glauco, Philoxenus Alexandrinus[122]), qui Romae litteras docebat. His Marsyam non ausim addere; neque enim ei propter duas quasdam verborum explicationes, quas eius nomini Athenaeus adscripsit, singulare glossarum opus tribuere licet, praesertim cum potuerint illae enarrationes vel in rerum Macedonicarum, quas uterque Marsyas, vel in libris de institutione Alexandri, quos antiquior (ὁ πρεσβύτερος), vel in libris de Atticis antiquitatibus, quos posterior (ὁ νεώτερος) scripsit, commode locum tenere[123]). — Contra non praetermittendi hoc loco sunt *synonymorum scriptores*, quicumque Prodici exemplum secuti adfinium vocabulorum discrimina explicarunt, quo in numero praeter Chrysippum Stoicum[124]) et Seleucum eum, quem modo memoravimus,

---

119) *Athen.* I, 20, d. *Otto Schneider* p. 83. not. 4. Esse autem Homericum non diversum ab glossographo etiam eam ob causam probabile est, quod Homericum de synonymorum differentiis scripsisse Suidas auctor est. Glossis Seleuci, quas in Συμμίκτοις extitisse conieci supra not. 105. aliquoties Athenaeus, raro alii testimonium denunciant, veluti *Eustath.* in Odyss. p. 1963, 33. et *Stephan. Byz.* v. Βρεντήσιον, ubi est Σ. ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν. 120) Epaphroditi, de quo cf. *Suid.* s v., quae his ab *Schol.* in *Arist.* in eiusdem vocis χοιρίνων ψήφων explicatione afferuntur λέξεις (cf *Otto Schneider.* p. 95.), fortasse non promiscuae sed Atticae tantum erant. 121) Apollodorum Cyrenaeum *Athenaeus* XI, 487, b. non novit nisi ex Pamphilo. — Neoptolemi Pariani Athenaeus tum Dionysiadem et librum de epigrammatis tum tertium glossarum librum commemorat XI, 476, f; cf. *Mein.* Anal. Alex. p. 357. sqq.; atque glossographum Neoptolemum cum Ameria ab *Eust.* p. 757, 19. coniungi iam supra (not. 116.) narravimus; neque vero alibi quam in glossis Neoptolemus Parianus suum tulerit indicium de scriptura ἐξεσίη, quam illum ab ἐξιέναι derivasse et *Schol.* Il. Ω, 235. et *Eustath.* p. 1347, 29. testantur. Quodsi Parianus Neoptolemus ab *Eustath.* etiam in Od. ρ, 219, p. 1817, 20. significatur, erat ille vel Aristophane grammatico antiquior — Aniceti, Eumolpi, Glauconis quod non ignoramus memorias, fere uni *Athenaeo* debemus (XI, 480, f. 483, a. 783, c. T. 4. p. 220 *Schweigh.*). 122) *Suid.* v. Φιλόξενος hunc docet quinque glossarum libros scripsisse. Erit idem nobis infra duobus aliis nominibus dicendus, quod et ἐθνικὰς glossas et Homericas explicavit. 123) Cf egregiam *Ritschelii* de utroque Marsya commentationem praemissam indici Schol. univ. Vratislav. aestat 1836. p. 9. Marsyae duo rerum scriptores distinguuntur et ab *Harpocratione* et ab *Suida*, quorum uterque Macedonicas historias litteris sit persecutus, alter antiquior, Pellaeus, Alexandri Magni aequalis, alter Philippensis incertae quidem aetatis sed recentior illo; si, id quod mihi quidem nondum constat, cum horum alterutro in unius personae speciem coniungendus est is, quem Parthenius apud *Athenaeum* XI, 467, c. „Marsyam Herculis sacerdotem“ appellat, ego quoque posteriorem crediderim eo nomine significari, et ad eundem etiam verborum illas explicationes rettulerim. In *Suida* tum pro Μαρσύας Μάρσου rescripserim: *M.* Μαρσύου, tum pro καὶ ἕτερά τινα περὶ τῆς ἰδίας πατρίδος mutato ordine: καὶ περὶ τῆς ἰδίας πατρίδος, καὶ ἕτερά τινα. 124) Chrysippum dubitanter nomino; Cf. *Valck.* Praef. in Ammon. p. XXI. — Seleuco *Suidas* s. v. librum singularem περὶ τῆς ἐν Συνωνύμοις διαφορᾶς tribuit. — Hipponax ἐν Συνωνύμοις ab *Athenaeo* XI, 481 f. excitatur, quem a vetere iambographo cognomine Fabricius et Schweighaeuserus distingui iubent. — Simmaristi Συνωνύμων libri tertius et quartus singuli bis ab eodem Athenaeo in partes vocantur; cf. *Schweigh.* ind. — Ptolemaeo Ascalonitae *Suid.* s. v. tribuit librum περὶ διαφορᾶς λέξεων; quae autem hoc indice sub Ptolemaei nomine Fabricius edidit (bibl. Gr. 4. p. 515 sq., 6. p. 157 sqq. Harles), fere αὐτολεξεὶ conspirant cum Ammonio. — Ἐρέννιος Φίλων ἐν τῷ περὶ διαφόρων σημαινομένων excitatur ab Eustathio in Iliadem aliquoti s, ut 831, 11. 906, 60. 907, 2; neque vero affirmaverim pro certo ita scribenti Eustathio nihil aliud esse obversatum, quam cuius excerpta hoc indice „Ἐρανίου Φίλωνος περὶ διαφορᾶς σημασίας“ ab Valckenario in lucem pro-

fuerunt Hipponax Simmaristusque et Ptolemaeus Ascalonita, qui grammaticam Romae docebat, atque Ammonius, cuius *περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων* liber aetatem tulit, ut Herennium Philonem et Philoponum Eustathio memoratos et *τὰς Διαφοράς* Etymologo Magno aliquoties in partes vocatas praeteream. — Dubitanter inter promiscuarum glossarum scriptores refero Dioscoridem iuniorem[125]) et Parmenionem sive Parmenonem atque Tryphonem Alexandrinum infra iterum dicendum, cuius libri *ὀνομασιῶν* referebant Onomastici speciem[126]); ad eandem speciem accedebant Didymi et Herodiani *συμπόσια* et Herodiani liber *περὶ γάμου καὶ συμβιώσεως*, si quidem, id quod Lehrsius[127]) statuit, illis voces, quae ad convivia, hoc vocabula narrabantur, quae ad matrimonium vitaeque consuetudinem pertinebant.

Quod ad secundi generis sive glossarum *ethnicarum* scriptores, praeter Zenodotum *ἐθνικῶν λέξεων* Callimachumque *ἐθνικῶν ὀνομασιῶν*, praeter Aristophanem Byzantium Laconicarum, et Artemidorum Ionicarum et Doricarum, atque Diodorum Italicarum glossarum auctores, de quibus omnibus iam in priore commentatione (p. X—XIII.) dictum est, satis habeo nominasse nunc Dionysii cognomine Iambi, quo Aristophanes Byzantius magistro usus est, de dialectis librum, et Hermonis sive Hermonactis[128]) Creticas glossas, atque Moschi enarrationem Rhodiacorum vocabulorum (*ἐξήγησιν Ῥοδιακῶν λέξεων*), quibus addo Demetrii Ixionis Adramytteni, qui, ut infra probabo, aliquantum ante Augustum vixisse videtur, librum de Alexandrinorum dialecto, et Tryphonis, Ammonii filii, Alexandrini grammatici et poetae, qui Augusti fere temporibus vixit, libros tum de dialecto Graecorum (*περὶ τῆς Ἑλλήνων διαλέκτου* s. *περὶ Ἑλληνισμοῦ*) tum de dialectis Argivorum et Himeraeorum et Syracusanorum et Rheginorum et Doriensium (*καὶ Ἀργείων καὶ Ἱμεραίων καὶ Ῥηγίνων καὶ Δωριέων καὶ Συρακουσίων*), tum de pleonasmo dialectorum Aeolidis (*περὶ πλεονασμοῦ τῶν ἐν τῇ Αἰολίδι διαλέκτων*), dein Minucii Pacati sive Irenaei, qui etiam ipse Augusti temporibus vixit, libros de Alexandrinorum dialecto[129]) atque commen-

---

tracta sunt. — Philoponus *περὶ λέξεων διαφόρως τονουμένων πρὸς διάφορον σημασίαν* commemoratur *Eustathio* in Od. λ, 227 p. 1681, 1. ubi inter *Αἴολος* et *αἰόλος*, idemque significatur in Il. *M*, 310, ubi inter *γελοῖος* et *γελοιός*, *δολιχή* et *Δολίχη*, *ζωή* et *ζώη* etc. quid intercedat discriminis docetur. 125) *Galen.* expos. voc. Hippocr. v. *Ἰνδικά* postquam distinxit Dioscoridem Alexandrinum ab D. Anazarbaeo, addit: *ὁ τοίνυν Διοσκουρίδης ὁ νεώτερος ὁ γλωσσογράφος*, quo nomine utrum Anazarbaeus significetur, an qui et ab hoc et ab Alexandrino diversus fuerit, nescio. — *Παρμένων ἐν τῷ περὶ διαλέκτου* excitatur ab *Athen.* XI, 500, b; ab hoc fortasse non diversus est *Παρμενίων ὁ γλωσσογράφος*, qui in *Schol. Hom.* Il. *A*, 591, p. 45, a, 18. in partes vocatur, sive idem duobus illis nominibus appellabatur, ut *Λύκος* et *Λίκιος* eiusdem viri nomina sunt (**Hemsterh.** in Aristoph. Plut. p. 203.), sive alterutrum nomen corruptum est. 126) Tryphonis *Ὀνομασιῶν* liber tertius, qui erat *περὶ αὐλῶν καὶ ὀργάνων* ab *Athen.* IV, 174, e, earundem liber secundus ab eodem tum XIV, 634, e. ubi explicatur *μάγαδις*, tum 618, c. excitatur, ubi variae *αὐλήσεων ὀνομασίαι* referuntur, unde mihi quoque videtur etiam XI, 503, d, ubi Odos poculum exponitur, pro *Τρύφων ἐν τοῖς ὀνομαστικοῖς* rescribendum esse: *ἐν ταῖς ὀνομασίαις*. Ad eosdem libros refero quod est ap. *Athen.* IV, 182, e. De onomasticis egi p. VI. Huc non trahendus est Arcadius. 127) *Lehrs.* „zu Herodian u. Apollonius“ in Mus. Rhen. 1842 II, p. 121. 128) Dionysii *τοῦ ἐπικαλουμένου Ἰάμβου* liber *περὶ διαλέκτων* commemoratur *Athen.* VII, 284, b. — De Hermone cf *Ranke* p. 109 sq. — Moschi meminit *Athen.* XI, 485, e Fueritne hic non diversus ab Syracusio illo poeta Bucolico, quem Grammaticum et Aristarchi discipulum *Suid. s.* v. appellat, iam *Schweighaeuserus* in Ind. p. 152. dubitavit. — Tryphonis quos memoravi libros, eorum memoriam uni Suidae acceptam referimus, nisi quod quos ille libros *περὶ τῆς Ἑλλήνων διαλέκτου*, eosdem Ammonius (vv. *δίσκος* et *χλαῖναν*) appellat *περὶ ἑλληνισμοῦ*. 129) Demetrii Ixionis commentarios *περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου* commemorat

tarium de proprietatibus Atticae et Doricae dialectorum; denique Philoxeni[130]) Alexandrini, de quo paullo ante diximus, libros de Hellenismo, de dialectis Syracusanorum Laconum Ionum et reliquarum gentium. Etenim temporibus illis dialectorum scriptores in glossis potissimum explicandis versabantur.

IV.

De *Atticorum nominum enarratoribus* nunc accuratius dicendum est. Ab hac quaestione prorsus alieni sunt exegeticon scriptores Autoclides[131]) et Clidemus[132]), quippe quae ad solos sacros ritus religionesque explicandas, nequaquam vero ad vocum sacrarum interpretationem pertinuisse, nedum lexici speciem rettulisse videantur[133]). Illis vero remotis postquam iam in superiori commentatione tum Aristophanis Byzantii *Ἀττικὰς λέξεις* tum Cra-

---

Athen. IX, 393, b. — Irenaei sive Pacati aetatem in Augusti fere tempora cadere Ritschelius eo argumento probavit, quod Heliodorum metricum, quo ille magistro usus esset, Augusto priorem esse oporteret (***Ritschl*** die Alexandrin. Bibliothek p. 140. Prooem. ind. Schol. Bonnens. 1840—41. p. IX.). Eius libros *περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου ὅτι ἐστὶν ἐκ τῆς Ἀτθίδος βιβλία ζ'* ***Suid.*** v. *Εἰρηναῖος* commemorat; hos idem v. *Πάκατος* hoc nomine „*περὶ τῆς Ἀλ. διαλέκτου ἢ περὶ ἑλληνισμοῦ βιβλία ζ' ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον*" appellat; iisdem ***Et. M.*** v. *πυδαρίζειν* p. 606, 7. testimonium sic denunciat: *οὕτως Εἰρηναῖος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου.* Irenaei libros *περὶ ἰδιωμάτων τῆς Ἀττικῆς καὶ τῆς Δωρίδος διαλέκτου* commemorat unus Suidas v. *Πάκατος.* [130]) ***Suid.*** s. v. *Φιλόξενος* commemorat eius libros *περὶ τῆς τῶν Συρακουσίων διαλέκτου, περὶ ἑλληνισμοῦ ς', περὶ τῆς Λακώνων διαλέκτου, περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου καὶ τῶν λοιπῶν*, quo nomine non dubito quin libri de dorica aeolica et attica dialectis significentur. [131]) Autoclidis nomine exegetici scriptor ter dicitur ab Harpocratione vv. *ὀξυθύμια, παλαμναῖος* et *προκώνια*, neque ullo eorum locorum discrepantia scripturae vel levissima reperitur, quantum quidem ex tacente Bekkero colligi licet; quare cum nomen suapte sponte probum sit et Atticum aliundeque notum (cf. ***Aeschin.*** c. Tim. §. 52.), magis etiam notum *Αὐτοκλῆς*, non dubitem idem reddere tum ***Athen.*** XI, 473, c, ubi ampliori fragmento praemittitur *ὥς Ἀντικλείδης φησὶν ἐν τῷ ἐξηγητικῷ*, tum ***Hesychio*** v. *ἀλευροδοῦντες, πέμματος γένος παρ' Ἀντικλείδῃ*, ubi *ἀλευροῦντες* coniecit ***Lobeckius*** Aglaoph. 1060. Distinguendus vero ab Autoclide est Anticlides, cui ***Harpocr.*** v. *Καλαυρία* testimonium denunciat, quo nomine fuisse novimus scriptorem tum rerum Alexandri (***Plut.*** Alex. 46; huius liber secundus in partes vocatur ab ***Diog. Laert.*** VIII, 11.), tum *νόστων* (quos amplissimo volumine fuisse qui ab ***Athenaeo*** IX, 384, f excitatur liber septuagesimus octavus satis probat), tum Deliacon (***Schol. Apoll. Rhod.*** I, 1207, 1289.); haec enim ad eundem referenda videntur auctorem, quem Atheniensem fuisse ***Athen.*** XI, 466, c. perscripsit. Ad *νόστους* refero etiam quae ***Schol. Hom.*** Il. *H*, 44 p. 202, a. 22. de Cassandrae et Heleni divinatione et quae ***Schol.*** Od. *π*, 471. de Argo interfecto ab Mercurio ex Anticlide referunt; non recte enim Buttmannus posteriorem locum in *ἐξηγητικῷ* locum habuisse statuit. [132]) ***Athen.*** IX, 410, a. *Κλείδημος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἐξηγητικῷ.* [133]) *Ἐξηγητικὸν* singulari numero est apud ***Athen.*** IX, 410, a. XI, 473, c, apud ***Harpocr.*** v. *παλαμναῖος*, apud ***Etym. M.*** 768, 10., apud ***Suid*** et ***Phot.*** v. *τριτοπάτορες*, ubi verbis *ὁ τὸ ἐξηγητικὸν ποιήσας* utrum Autoclides an Clidemus, an aliquis ab his diversus significetur, nescio; plurali numero est ap. ***Harp.*** v. *ὀξυθύμια — Δίδυμος δὲ Αὐτοκλείδου λέξιν παραγράψας ἐκ τῶν ἐξηγητικῶν* (hic locus probare videtur lexicographos illos non ipsos exegetica manibus tractasse sed ex superioribus grammaticis veluti ex Didymo cognosse) et v. *προκώνια — ὥς Αὐτ. ἐν τοῖς ἐξηγητικοῖς ὑποσημαίνει.* Iam vero sex loci, in quibus exegeticon horum memoria extat, omnes ita comparati sunt, ut ad res sacras pertineant neque tamen ipsi sacras voces explicent, sed sacrarum vocum explicandarum caussa in partes vocentur. Hinc apparet minus recte et ***Casaubonum*** in ***Athen.*** IX, 410, a. scripsisse: „Clidemus antiquissimus scriptor *obscuras voces collegerat et exposuerat* libroque suo titulum indiderat *'Ἐξηγητικῷ*,'' et ***Buttmannum*** l. c. „*'Ἐξηγητικῷ sive vocum dictionumque reconditae originis explicatione.*'' Ne ***Schweighaeuser.*** quidem Ind. in ***Athen.*** p. 32. recte scripsit: Erat *lexicon* quoddam — in isto autem *lexico* eas potissimum voces et dictiones retulisse videtur auctor, quarum expositio ex institutis veterum aut

tetis Pergameni libros *περὶ τῆς Ἀττικῆς λέξεως* sive *διαλέκτου* ut antiquissimos commemoravimus, quibus statim adiicimus Istri Callimachii *λέξεις Ἀττικάς*[134]), capiendum initium videtur ab Nicandro Thyatireno, ab Philemone Atheniensi et ab Theodoro, quorum quidem aetas accuratius definiri nequit, sed in tempora illis proxima incidere videtur. — Nicander igitur, qui ab Thyatira Lydiae urbe est Thyatirenus dictus[135]), ut de pagis Atticis commentatus est[136]), ita etiam *ἐξηγητικὰ Ἀττικῆς διαλέκτου* sive *Ἀττικὰ ὀνόματα* scripsit; nam utroque titulo idem videtur indicari opus, quod libris dumtaxat XVIII. constabat[137]); hic non pauci poetarum scriptorumque loci quasi ad testimonium dicendum vocabantur[138]) eorumque verba nonnumquam diligentius explicabantur[139]); neque illud ita in Atticis nominibus explicandis subsistebat, ut non aliquando oblata opportunitate ad excedendum uteretur aberraretque etiam ad aliarum gentium glossas enarrandas, veluti Aegyptiorum[140]), quamquam pleraque huius generis Colophonio vindicanda videntur, cuius glossarum fuisse libros iam supra comprobavimus. — Philemonem Atheniensem, pago Aexonensem (credibile est enim non diversum esse quem Athenaeus[141]) Atheniensem ab eo, quem Aexonensem Ammonius[142]) appellet) eum igitur Augusto fuisse aliquanto priorem inde apparet, quod iam Trypho eum testem adduxit; eundem ab Philemone iuniore comico, superioris comici filio, distinguendum esse, id quod Meursium fugit, intellexit Fabricius[143]); ab Philemone autem critico, cuius erat et singularis editio Homeri et Miscellaneorum (*Συμμίκτων*) liber Porphyrio commemoratus, quo quidem libro Didymus in recensendo Homero usus esse dicitur, sitne distinguendus Phil. Aexonensis, non ausim certo dicere. Atheniensis igitur Philemo tum *παντοδαπῶν χρηστηρίων* libros scripsit, in quibus

---

et priscis historiis sive fabulis erat repetenda." Qui modo Athenaei locos conferet accuratius, facile intelliget *ἐξηγητικὸν* fuisse librum sacrae *ἐξηγήσεως*, id est eius interpretationis, quae fuerit penes sacrorum interpretes (*ἱερῶν καὶ ὁσίων ἐξηγητάς*), ab lexicorum autem specie immane quantum abhorruisse. [134]) Cf. *Eustath.* in Hom. Od. *ι*, 239 p. 1627, 15. [135]) *Steph. Byz.* s. v. *Θυάτειρα — τὸ ἐθνικὸν Θυατειρηνὸς ἀφ' οὗ Νίκανδρος γραμματικὸς Θυατειρηνὸς ἢ Κολοφώνιος.* Novissima male adiecit Stephanus, confundens ille duos diversos Nicandros. [136]) *Harpocr.* v. *Θυργωνίδαι* et *Τιτακίδαι· — Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνὸς ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων.* [137]) *Harpocr.* v. *μέδιμνος* titulo utitur *N. ὁ Θ. ἐν τοις ἐξηγητικοῖς τῆς Ἀττικῆς διαλέκτου*, idem v. *βολεῶνες — N. ἐν γ' Ἀττικῆς διαλέκτου*, v. *ξηραλοιφεῖν — N. ἐν ιή Ἀ. δ.*, v. *τριπτῆρα — N. ἐν ιή Ἀ. δ.*, *Athenaeus* vero hunc habet indicem XV, 678, f.: *Θυατειρηνὸς Νικ. ἐν τοῖς Ἀττικοῖς ὀνόμασι.* Quod apud *Lexic. Rhetor.* 306, 3. v. *τάλαντα* extat, *δύναται δὲ τρεῖς χρυσοῦς ὁ Θυατειρηνός*, *Boeckhius* Metrolog. p. 344. rescriptum ivit: *χρ. παρὰ Θυατειρηνοῖς*; at hunc sensum poterat faciliore mutatione consequi, modo rescriberet *χρυσ. Θυατειρηνοῖς*; sic *Ὁ* videretur ortum ex sequenti *Θ*; sed vide ne *χρ. οὕτως* vel *ὥς ὁ Θ.* sit scribendum referendumque ad hoc Atticarum dictionum corpus; similiter *Schol. Plat.* Charmid. ad p. 319, 15. p. 324, Bekk. *ὁ δὲ Θυατειρηνὸς στλεγγίδα μὲν τὴν ξύστραν κτλ.*, ubi eodem spectatur. De re cf. *Etym. M.* 744, 37.: *τὸ τάλαντον κατὰ τοὺς παλαιοὺς χρυσοῦς εἶχε τρεῖς.* Eosdem libros fortasse significat et *Phot.* v. *φαλάγγιον γένος ὄφεως, ὥς φησι Νίκανδρος*, et *Hesych.* vv. *ἀγωνοθέτης, ἀθελβεῖν, κλίσις, μέσκος*, et *Suid.* v. *Εὐρίβατος*, quamquam quaedam horum poterant etiam in glossis Colophonii locum habere. [138]) Cf. *Athen.* III, 76, a. XI, 479, c. 481, d. 485, f. [139]) *Athen.* XV, 691, c. [140]) ibid. III, 114, d. [141]) *Athen.* XI, 469, a. *Φιλήμων ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων ἢ γλωσσῶν.* In reliquis enim locis, in quibus Athenaeus horum librorum mentionem facit, non est adiectum *ὁ Ἀθηναῖος.* [142]) *Ammon.* v. *πονηρόν* p. 117. Valck. — *φησὶν ὁ Τρύφων παρατιθέμενος Φιλήμονα τὸν Αἰξωνέα.* [143]) *Meurs.* Bibl. Attic. in Gron. Thes. A. Gr. Vol. X. p. 1583. — *Fabricius* bibl. Gr. T. 2. p. 297. Harles. Cf. *Osann* praef. in Philem. p. VII. sq. *ἡ κατὰ Φιλήμονα* editio Homeri commemoratur *Schol.* Il. *B*, 258, *ἐν τῇ Φιλήμονος* *Schol.* *Π*, 467. *τὰ Φιλήμονος σύμμικτα* in *Porphyr.* Qu. Hom. 8.

variorum utensilium supellectilisque domesticae vocabula exposuit[144]), tum Attica nomina enarravit; is autem liber inscriptus erat fortasse: *περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων ἢ γλωσσῶν*; verum eo ampliore titulo Athenaeus bis tantum utitur, quater breviore inscriptione vel *περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων*, vel *Ἀττικῶν λέξεων*, vel *Ἀττικῶν φωνῶν*[145]). — Theodori *Ἀττικὰς φωνάς* s. *Ἀ. γλώσσας* (nam utroque titulo idem liber significatur) Athenaeus non ipse usurpasse sed quae in eo inerant ex Pamphilo demum cognosse videtur, unde licet de aetate hominis coniecturam facere; fortasse non ab eo diversus erat Theodorus *ὁ παναγής*, cuius singularis erat commentarius de Attica Praeconum gente[146]).

Post illos Demetrium nominamus, Adramyttenum origine, Pergamenum grammaticum, cui Ixioni cognomen erat, quo ille saepius sic significatur, ut vel ipsum Demetrii nomen omittatur[147]); cognomen, ut Suidas auctor est, veterum alii inde derivarunt, quod ipse esset in furto deprehensus, cum Alexandriae Iunonis cuidam imagini aureas bracteas surripere conaretur; alii propterea ei inditum esse voluerunt, quod cum Aristarcho praeceptore contendens non minus se ingratum adversus hunc praebuisset, quam Ixion adversus deos, a quibus beneficiis fuisset ornatus. Posterior explicatio quamquam uti ab acumine ita ab veritate cedit priori, nasci tamen non poterat nisi apud eos, qui Demetrium non modo Aristarcheum[148]) fuisse sed ipso Aristarcho magistro usum esse credebant; atque habet illa enarratio id certe veritatis, quod Aristarchum tum in Homericis carminibus ad criticas regulas revocandis tum in Aristophanis fabulis interpretandis saepius reprehensum vituperatumque ab Demetrio fuisse vel nobis constat[149]). Quodsi Demetrius ea est disciplina institutus, minus recte ab Suida dicitur *γεγονὼς κατὰ τοὺς Αὐγούστου τοῦ Καίσαρος χρόνους*; cum enim Aristarchus vix post Ol. CLXVI. a. Chr. 113 superstes fuerit[150]), Demetrius, si vel puer sedecim annorum ipsi iam ex-

---

144) *Athen* III, 114, d. c. n. *Schweigh.* 145) Amplior inscriptio est XI, 468, e. *Φιλήμων ἐν τοῖς Ἀττικοῖς ὀνόμασιν ἢ γλώτταις*, et 469, e. (cf. not. 139.), quo respicit 473, b. *Φ. ἐν τῷ προειρημένῳ συγγράμματι.* Breviores habet XIV, 646, c. et 653, e. *Φ. ἐν τῷ περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων.* XI, 483, a. *Φ. ἐν ταῖς Ἀττικαῖς φωναῖς.* III, 76, f. *Φ. ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι.* Fortasse hinc petitum est, quod ex Philemone refert *Athen.* I, 11, d. 146) *Athen.* XV, 677, b. *Θεόδωρος ἐν ταῖς Ἀττικαῖς φωναῖς, ὥς φησι Πάμφιλος.* Non sic scripsisset, opinor, si librum ipse vidisset. Easdem *Ἀ. γλώσσας* appellat XIV, 646, c; XV, 678, d. At vero XI, 496, e. et XV, 691, c. iisdem utitur non addito libri titulo. — Theodorus ὁ *παναγὴς προσαγορευόμενος ἐν τῷ α΄ περὶ τοῦ Κηρύκων γένους* excitatur ab *Phot.* v. *ἡμεροκαλλές.* 147) Hic aut *Δημήτριος ὁ ἐπικληθεὶς Ἰξίων* (*Diog. Laert.* V, 84.), sive *Δ. ὁ ἐπίκλην Ἰξ.* (*Suid.* s. v.), aut *Δ. ὁ Ἰξίων* (*Apollon. Soph.* lexic. Hom. p. 666. Villois. *Athen.* II, 50, a. III, 74, b. *Schol. Hom.* Il. *Α*, 513 *Schol. Aristoph.* Av. 1568.), aut solo nomine ὁ *Ἰξίων* (*Schol. Hom.* Il. *Α*, 423. *Β*, 192. *Γ*, 18. *Ε*, 31. *Ζ*, 171. 437. *Θ*, 103. *Κ*, 41. 124. 548. *Ξ*, 316. *Eustath.* in Il *Ε*, 31. p. 518, 19. *Schol. Arist.* Ran. 311.), rarius sola voce *Δημήτριος* significatur, veluti in *Schol. Hom.* Il. *Ο*, 194 *Schol. Arist.* Ran. 78. 186. 1001. 1021. 1227. Vesp. 227; neque enim dubium est, quin qui illis locis dicatur Demetrius, is Ixion sit. Hic igitur si non in omnibus fabulis Aristophanis at certe in Ranis et Vespis tractandis tum critici tum interpretis partes egerit; cf. *OttoSchneider.* de veter. in *Aristoph. Schol.* p. 90. intrprr. in *Suid.* s. v. *Menag.* in Diog. l. c. *Villoison* Proleg. in Apollon. p. XXVII. 148) *Clinton* F. H. 3, 550. not. l. aut alium quam nobilem Aristarchum Demetrio magistrum fuisse, aut hunc eatenus illius discipulum dici coniicit, quatenus Aristarcheus fuerit. 149) Cf. *Otto Schneider.* l. c. 150) Aristarchum Suidas Ol. CLVI sub Ptolemaeo Philometore (hic regnavit ab Ol. 149, 4—158, 3 ab a. Chr. 181—146.) vixisse huiusque regis filium instituisse et annos septuaginta duos vixisse, *Eusebius* vero Ol. 155, 3 a. Chr. 158., *Chron. Alex.* autem Ol. 156. 2 a. Chr. 155. floruisse scribunt; cf. *Clinton* F. H. 3, p. 92.

tremum, id est septuagesimum alterum annum agenti innotuisset, non potuisset post a. 129 a. Chr. natus esse; in id autem tempus si natales eius incidissent, anno, quo Octavianus cognominatus est Augustus (27 a. Chr.), egisset necesse esset duntaxat centesimum secundum annum, neque tamen Dionysius, quod sciam, ab quoquam inter homines longaevos doctrina claros relatus est. Quare Suidam *Αὐγούστου* de suo addidisse credo, in iis autem fontibus, quos adierit, si quidem limpidiores essent, solum extitisse: *γεγονὼς κατὰ τοὺς τοῦ Καίσαρος χρόνους;* ita vero poterat vel is dici, qui cum proelium apud Pharsalum committeretur, a. Chr. 48, iam inter vivos esse desiit. Ixion igitur non modo Homerum Hesiodumque et Aristophanem commentariis explicavit, et de pronominibus atque de verbis in *μι* scripsit, sed etiam tum libros de Alexandrinorum dialecto et Etymologumenon edidit tum *Ἀττικὰς λέξεις* singulari libro enarravit [151]).

Demetrium excipiat Minucius Pacatus sive Irenaeus, ut graeco nomine appellatur, grammaticus Alexandrinus, Heliodori metrici discipulus, incertae aetatis, unde factum est, ut ab nonnullis ad Hadriani, ab Ritschelio rectius ad Augusti tempora referatur et primus eorum habeatur, qui peculiari nomine Atticistae appellabantur; certe et eo titulo ab Etymologi Magni auctore dicitur, et quae de attica consuetudine litterarum ordinem secutus tribus libris, et quae singulari libro de atticismo scripsisse traditur, illo titulo eum non indignum fuisse probant. Sed hoc loco propterea a nobis commemoratur, quod tribus libris de Atticis nominibus exposuit [152]). — Fortasse sub Tiberio vixit Epitherses, quem *περὶ λέξεων Ἀττικῶν* scripsisse Stephanus Byzantius testatur, nos infra iterum commemorabimus, ubi comicorum et tragicorum lexicorum scriptores recensebimus. — Ad Augusti Tiberiique tempora revocandus videtur etiam Dorotheus Ascalonita [153]), qui lexicon condidit, quod *Λέξεως συναγωγήν* inscripsit; id ambitu

---

[151]) ***Schol. Aristoph.*** Avib. 1568. *Δημήτριον δὲ τὸν Ἰξίονα πάντες λέγουσιν ἐν ταῖς Ἀττικαῖς λέξεσιν ὡς γλῶσσαν ἐξηγεῖσθαι* (vocem *Λαισποδίαν*), unde ***Suid.*** v. *Λαισποδίας* habet: *ἢ ὡς Ἰξίων ἐν ταῖς λέξεσι.* Scholiasta ita loquitur, quasi vero ipse eas lexeis non viderit. — Demetrii Etymologica et librum de Alexandrinorum dialecto novimus ex Athenaeo, reliquorum librorum eius memoriam Suidas servavit. [152]) De Irenaei aetate cf. not. 129. ***Suidas,*** qui de homine et v. *Εἰρηναῖος* et v. *Πάκατος* agit, illo loco scripsisse eum dicit 1) *περὶ τῆς Ἀθηναίων προπομπίας;* 2) *περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου ὅτι ἐστὶν ἐκ τῆς Ἀτθίδος βιβλία ζ′* (de his dictum not. 129.); 3) *Ἀττικῶν ὀνομάτων βιβλία γ′.* 4) *Ἀττικῆς συνηθείας τῆς ἐν λέξει καὶ προσῳδίᾳ κατὰ στοιχεῖον βιβλία γ′.* (His testimonium denunciatur ab ***Socrate*** (hist. eccles. III, 7. *Εἰρηναῖος ὁ γραμματικὸς ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον Ἀττικιστῇ καὶ βάρβαρον ἀποκαλεῖ τὴν λέξιν*), ab ***Etym. M.*** (v. *κομψός — οὕτως Εἰρηναῖος ὁ Ἀττικιστὴς ἐν τῷ κ̄ στοιχείῳ*), ab ***Schol. Aristoph.*** Vesp. 895. (cf. ***Otto Schneider.*** p. 94.) et ab ***Schol.*** in iusiurand. Hippocrat., si quidem pro eo, quod ibi extat *Ῥ ί ν θ ο ς ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀττικῆς συνηθείας,* recte ab ***Ruhnkenio*** (in Koen. praefat. in Gregor. Corinth. p. XVI.) rescriptum est: *Ε ἰ ρ η ν α ῖ ο ς.* ***Suidam*** quoque auctor tabulae lexico eius praemissae profitetur his libris Pacati in componendo lexico esse usum; at paucissimos eorum librorum, qui ibi commemorantur, ille re quidem vera manibus tenuerit.) 5) *κανόνας ἑλληνισμοῦ βιβλίον α′.* 6) *περὶ ἀττικισμοῦ βιβλίον α′.* 7) *καὶ ἄλλα πολλά.* Contra v. *Πάκατος* omittitur, quae primo, tertio et quinto loco commemoravimus, quod autem secundo loco collocavimus, primum ponitur et sic immutatur, uti not. 129. rettulimus, additur autem: *περὶ ἰδιωμάτων τῆς Ἀττικῆς καὶ τῆς Δωρίδος διαλέκτου.* Id ut commentarius in Apollonium Rhodium, quo Irenaeus et criticam rationem et poetae enarrationem comprehendit (cf. ***Schol. Apoll.*** I, 1299. II, 127. 1015.) in illis „aliis multis" continetur, quae ***Suid.*** v. *Εἰρην.* dixerat. [153]) ***Steph. Byz.*** v. *Ἀσκάλων — πολλοὶ δὲ ἐξ αὐτῆς κεχρηματίκασι — γραμματικοὶ δὲ Πτολεμαῖος Ἀριστάρχου γνώριμος καὶ Δ ω ρ ό θ ε ο ς.* Eo ex ordine coniici licet Dorotheum aetate posteriorem esse Ptolemaeo eo, qui ut alia praeteream, de Homerica et Iliadis et Odysseae

satis magno erat, si quidem liber eius CVII commemoratur[154]); ad eundem autem Ascalonitam et libros *περὶ τῶν ξένως εἰρημένων λέξεων κατὰ στοιχεῖον*[155]) et libros *Ἀττικῆς λέξεως* refero, quorum libro XXXI. ab Scholiasta Homeri testimonium denunciatur[156]); hi vero utrum separatum opus an *συναγωγῆς* partem constituerint, definire non ausim. — Sequitur Pamphilus, grammaticus Alexandrinus[157]), Aristarcheus[158]); eo cognomine dicebatur, non quo ipse Aristarcho esset magistro usus, id quod per temporis rationes fieri non poterat, sed quod aut in schola, quae ab Aristarcho condita huius fatis aliquamdiu supererat, litteris eruditus aut quia praecepta Aristarchi maximam partem secutus esset, etsi illi eum nonnumquam repugnasse scimus[159]). Aetas hominis incerta est, at ut recentior erat Apione, qui sub Tiberio et Claudio floruit, quippe quem in partes vocaverit[160]), ita antiquior non solum Herodiano[161]), qui sub Antonino et Marco floruit, et Athenaeo Naucratita, qui sub Marco natus est et adolescentulus eos vidit, qui sub Hadriano floruerant[162]), sed etiam Diogeniano, qui sub Hadriano vixit, quippe qui Pamphili glossas in compendium redegerit[163]). Hic igitur praeterquam quod libro eo, cui *Λειμῶνι* sive Prato inscripsit[164]), res di-

---

prosodia atque de Odysseae recensione Aristarchia scripsit et tum in Schol. Hom. tum ab Eustathio saepius in partes vocatur, ut ubique intellegendus esse videatur, ubi solum *ὁ Ἀσκαλωνίτης* in illis scholiis dicitur. [154]) *Athen.* VII, 329, d. *Δωρόθεος ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐν τῷ ὀγδόῳ πρὸς τοῖς ἑκατὸν τῆς Λέξεως συναγωγῆς.* Aut hoc ipsum opus aut *Ἀττικὴν λέξιν* significaverit Athenaeus tum XIV, 658, d., ubi *Δωρόθεος ὁ Ἀσκαλωνίτης* non nominato libri indice, tum IX, 410, a. et XI, 481, d, ubi solum *Δωρόθεος* legitur; quod si ita est, poetarum et scriptorum pedestris orationis locos non paucos ibi allatos et enarratos esse apparet. Qua diligentia omnino versatus sit, luculento quodam exemplo docemur; integro enim libro ei opus erat ad unius Homerici *κλισίου* enarrationem, ubi in tria inquisivit, in significatum, sitne alius Homericus, alius Atticorum, in orthographiam, sitne *κλίσιον* an *κλεισίον* scribendum, denique in prosodiam, sitne paroxytonon an proparoxytonon; „integro *libro*" dixi, etenim in *Schol. Hom.* Il. *I*, 90. cum Coraesio *ὅλου βιβλίου* (pro *βίου*) *ἐδέησε Δωροθέῳ τῷ Ἀσκαλωνίτῃ εἰς ἐξήγησιν τοῦ παρ' Ὁμήρῳ κλισίου* rescribendum arbitror. Eum autem librum non dubito *συναγωγῇ* tribuere. [155]) *Photius*, qui unus Cod. 157, p. 100, 25. libri memoriam servavit, *οὐκ ἄχρηστον σύνταγμα* appellat. [156]) *Schol. Hom.* Il. *K*, 252, p. 284, b, 36. *Δωρόθεος ἐν τριακοστῷ πρώτῳ τῆς Ἀττικῆς λέξεως.* Ascalonitam enim hic significari non magis dubito quam *Schweighaeuserus* (ind. in *Athen.*), praesertim cum alius non constet Dorotheus, ad quem illos libros probabilius referas. [157]) *Πάμφιλος Ἀλεξανδρεύς* tum apud *Suidam* s. v. dicitur, tum *Π. ὁ Ἀ.* saepius apud *Athen.* legitur, veluti III, 89, d. VIII, 360, b. IX, 387, d. XI, 471, c. Id utrum patriam, an studiorum sive sedem sive rationem indicet, nescio. [158]) *Suid.* s. v. *γραμματικὸς Ἀριστάρχειος.* Id in eum, quem dixi, sensum esse accipiendum docuit fere Clinton F. H. 3, p. 556. [159]) *Ranke* de Hesych. p. 124. sq. [160]) *Athen.* XIV, 642, c. *Ἀπίων καὶ Διόδωρος ὥς φησι Πάμφιλος.* [161]) *Etym. M.* 521, 32. v. *κμέλεθρα — λέγει δὲ ὁ Ἡρωδιανὸς τὸν Πάμφιλον ἀναγαγεῖν τὸ κμέλεθρον.* [162]) Cf. *F. Iacobs.* in Erschii et Gruber. Encyclop. Art. I, VI, p. 74. [163]) *Rankeus* in Encycl. Hal. III, X, p. 241. „Pamphilum propterea quod Appiano testimonium denunciet, fuisse hoc posteriorem, *ideoque* probabiliter *primo* post Christum seculo vixisse" statuit. Illud quo loco factum sit, ut Pamphilus Appiano teste utatur, neque indicavit Rankeus neque mihi constat; factum vero si esset, Pamphilum certe post annum 147 post Chr. scripsisse oporteret; Appianus enim Traiani quidem et Hadriani temporibus floruisse dicitur (*Phot.* bibl. 57, p. 17, a 20 Bekk.), historias autem Antonino demum imperante scripsisse videtur, quippe qui non tantum Hadriani fato perfuncti meminerit (Civ. I, 38.) — Hadrianus autem excessit a. 138, — sed etiam tum inter C. Caesarem rerum potitum et „praesens tempus" propemodum ducentos interesse annos (Praef. c. VII.), tum rem publicam Romanorum iam annos nongentos perdurasse (ib. c. 9.) scribat; ab Caesare autem dictatore a. Chr. 47 facto si ducenti anni computaveris, incides in a. 147 p. Chr., qui annus ipse est nongentesimus post urbem conditam. [164]) *Suid.* s. v.

versissimas, fortasse glossas quoque complexus est, primum glossarum magnum opus, quod Zopyrio inchoaverat quidem, sed post quattuor primarum litterarum ab ᾱ ad δ̄ usque explicationem nescio qua caussa motus dereliquerat, ad umbilicum adduxit et reliquarum quoque litterarum enarrationem ab ε̄ ad ω̄ adiecit, quia vero operis eius pars longe maior Pamphili erat, factum hinc est, ut totum opus, etiam pars ea quae Zopyrionis et, ab Athenaeo et veteribus grammaticis sub Pamphili nomine commemoretur, neque omnino Zopyrionis memoria apud quemquam alium quam apud Suidam et Eudociam superet.[165]). Erat illud ab ipso Pamphilo fortasse „*περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων*“ inscriptum,[166]) unde explicatur quod ab Athenaeo nunc hoc indice,[167]) nunc inverso ordine *περὶ ὀνομάτων καὶ γλωσσῶν*,[168]) nunc *περὶ ὀνομάτων*,[169]) nunc *περὶ γλωσσῶν*,[170]) ab Suida autem modo *περὶ γλωσσῶν ἤτοι λέξεων*, modo *περὶ λέξεων*, modo *περὶ γλωσσῶν* appellatur[171]); quae autem apud scholiastas quosdam fertur epitomarum Diogeniani et Vestini inscriptio, non eam vim habet, ut ipsius Pamphili glossis indicem *Ἑλληνικῶν ὀνομάτων* fuisse arbitrer.[172]) Libris constabat nonaginta quinque,[173]) ordinem autem sequebatur litterarum,[174]) eum-

---

Πάμφιλος — ἔγραψε Λειμῶνα· ἔστι δὲ ποικίλων περιοχή. περὶ γλωσσῶν ἤτοι λέξεων. Hic igitur distinguit Pratum ab glossarum libris, unde probabile est in tabula Suidae praeposita, qua exponitur, quibus grammaticorum libris in suo lexico consarciendo Suidas usus sit, si is non recentis temporis fetus est, pro eo, quod vulgetur, *Πάμφιλος λειμῶνα λέξεων ποικίλων περιοχὴν βιβλίων ἐννενήκοντα πέντε*, sic fere esse scribendum: *Π. λειμῶνα ἤγουν ποικίλων περιοχήν. [περὶ γλωσσῶν ἤτοι] λέξεων βιβλία ἐνν. π.* Praeivit fere in hac sententia ***Bernhardyus*** in Suid. II, 2. p. 38. Ceterum Pratum quoque ad glossas potissimum pertinuerit, sed libri *περὶ γλωσσῶν* alphabeti ordinem tenuerunt, *Λειμὼν* prati varietatem retulerit, id est Miscellaneorum libertatem. [165]) ***Suid.*** v. *Πάμφιλος· περὶ γλωσσῶν ἤτοι λέξεων βιβλία ἐνενήκοντα πέντε. ἔστι δὲ ἀπὸ τοῦ ε̄ στοιχείου ἕως τοῦ ω̄. τὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ ᾱ μέχρι τοῦ ε̄ Ζωπυρίων ἐπεποιήκει.* ***Id.*** v. *Διογενειανός — ἐπιτομὴ δέ ἐστι τῶν Παμφίλου λέξεων βιβλίων ε̄ καὶ τετρακοσίων καὶ τῶν Ζωπυρίωνος.* In tabula Suidae praemissa post verba not. 164. posita legitur: *ἔστι δὲ ἀπὸ τοῦ ε̄ στοιχείου ἕως τοῦ ω̄. τὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ ᾱ μέχρι τοῦ δ̄ Ζωπυρίων πεποίηκε.* Cf. ***Eudoc.*** s. v. *Πάμφ.* [166]) Placuit id iam ***Rankeo***, qui de Pamphilo eiusque glossarum libris diligentissime tum in libello, quem de Hesychiani lexici vera origine et forma scripsit, p. 72—136, tum in Erschii et Gruberi encycl. art. III, x p. 241. sq. est commentatus; cf. de ***Hesych.*** p. 82.; in posteriore autem loco primariam eius operis inscriptionem *περὶ γλωσσῶν* fuisse credit [167]) ***Athen.*** XIV, 650, e. [168]) ***Id.*** IX, 388, d. [169]) ***Id.*** III, 89, d. 121, b. VIII, 360, b. XI, 472, e. XV, 677, b. [170]) ***Id.*** II, 53, b. 69, d. III, 85, c. XI, 470, d. [171]) ***Suid.*** v. *Πάμφιλος* habet indicem *περὶ γλωσσῶν*. ***Id.*** v. *Διογενειανὸς* huius *λέξιν παντοδαπὴν* dicit esse *ἐπιτομὴν τῶν Παμφίλου λέξεων*, contra v. *Οὐηστῖνος* ab hoc scriptam esse dicit *ἐπιτομὴν τῶν Παμφίλου γλωσσῶν*. [172]) ***Schol. Hom.*** Il. *E*, 576. *ἐκ τῶν Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς Ἑλληνικῶν ὀνομάτων.* ***Scholium in Gregor. Nazianz.*** editum ab Montefalcon. in diar. Ital. pag. 214. *ἐκ τοῦ Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Οὐεστίνου Ἑλληνικῶν.* [173]) Eum numerum offerunt et MSS. Parisini in ***Suid.*** v. *Πάμφιλος* et tabula Suidae praemissa, quam aliquoties iam in partes vocavimus, eadem voce; eundem ***Welckerus*** in censura, quam Rankeiae commentationis de Hesychio scripsit (***Mus. Rhen.*** T. 2. p 293.) probabiliorem docuit esse numero *σέ* id est 205, quem offerant quae ***Kuestero*** priores sint editiones, et numero *ε̄ καὶ τετρακοσίων* (*νέ*), quem v. *Διογενειανὸς* ***Suidae*** libri, quod sciam, omnes praebeant uti ***Eudocia*** p. 133., et numero *ἐννενήκοντα ἑνός*, quem illa tabula v. *Οὐηστῖνος Ἰούλιος*, denique et numero *οέ* (75), quem Eudocia v. *Πάμφιλος* p. 360. exhibeat. Illo autem numero comprehendanturne simul Zopyrionis libri, an horum numerus illi adiiciendus sit, ignoro. [174]) Quod ***Rankeus*** (Encycl. p. 242.) coniecit singularum litterarum glossas ita fuisse dispositas, ut partim ad rerum quaedam genera revocarentur („nach den Gattungen der Worte, welche er aufnahm, hat er wahrscheinlich die Anordnung eingerichtet“), id quod fere, si recte intellego, ad onomasticorum rationem accessit, partim ad topicarum differentiam respiceretur, id est, ut singulis in litteris separatim extarent Laconicae, separatim Atticae, idemque valeret in reliquas, ex eo genere coniecturarum est, quas non minus difficile est probare quam refellere.

que fortasse sic tenebat, ut non in prima tantum, sed in secunda etiam tertiaque et quarta littera eam seriem observaret; certe id Athenaeus in iis, quae Pamphilo debet, plerumque facit,[175]) idemque Diogenianum, qui, ut mox referemus, Pamphili epitomen scripsit, fecisse diserte testatur Hesychius.[176]) Eo in lexico condendo Pamphilus superiorum glossographorum libris utebatur, veluti Aristophanis Byzantii et Atticis et Laconicis, Diodori Italicis, Apionis Homericis glossis, aliisque, quorum librorum bonam partem Athenaeus non ipse usurpasse manibus, sed ex Pamphilo demum cognosse videtur[177]). Neque minus diligens erat in poetarum[178]) scriptorumque testimoniis et afferendis et explicandis; ea vero in re ita versabatur, ut etiam de scripturae discrepantia iudicium ferret, id quod praecipue in Homeri vocibus faciebat. Verborum autem non satis habebat significationes exponere, immo etiam origines aperiebat, et quo accentu notanda essent docebat.[179]) Erat denique opus diffusum maxime et varium, quippe quod tum multas topicas glossas veluti Cypriorum, Laconum, Tarentinorum, alias, tum plerasque poetarum, veluti Homericas, tragicas, comicas comprehenderet; parcior fuerit in glossis prosae orationis recipiendis. Magnum id Zopyrionis Pamphilique coniuncta opera conditum glossarium, ut iam significavimus, in compendium redegit tum Diogenianus tum Vestinus. Atque Diogeniani quidem epitome, quam Suidas auctor est libris quinque constitisse et indicem habuisse „*Λέξις παντοδαπὴ κατὰ στοιχεῖον,*" eam famae celebritatem consecuta est, ut ipsius Pamphili opus in quandam oblivionem adduceret; nam Pamphili memoria fere apud solos Athenaeum et Herodianum reperitur et ne apud Photium quidem eo loco extat, quo hic data opera de lexicis Graecis disserit, Diogeniani autem et nomen saepissime iactatur et lexicon fundus quasi factus est Hesychiani lexici, id quod tum Hesychius ipse in epistola ad Eulogium profitetur, tum post Ruhnkenium Rankeus sic comprobavit, ut eorum, quae ex Diogeniano commemorarentur, paucis exceptis pleraque omnia in Hesychio extare doceret. Ea autem quaestio exercuit nuper eruditos aliquot viros atque adhuc sub iudice lis est, quinque illi libri, quorum memoriam unus Suidas servavit, fuerintne non diversi ab Diogeniani eo opere, cui Hesychius inscriptum esse dicit „*Περιεργοπένητας,*" an Diogenianus praeter Pamphili epitomen aliud lexicon condiderit suo consilio adornatum, ad quod et hic *Περιεργοπενήτων* titulus et pleraeque earum verborum explicationum referendae sint, quae Diogeniani sub nomine a grammaticis commemorentur[180]). — Quam autem Iulius

---

175) Cf. ***Rankeus*** de Hesych. p. 85. 92. 176) ***Id.*** l. c. p. 70. 177) De Diodori glossis a Pamphilo in suos usus conversis cf. ***Athen.*** 479, a, de Apionis ***Id.*** 642. 178) ***Athen.*** 479, a. 487, c. 326, e. al. 179) Cf. quae ***Rankeus*** composuit p. 121. sqq. 180) Priorem sententiam post alios tuetur ***Rankeus***, hanc diligenter defendit ***Welckerus*** p. 293. sqq., in cuius sententiam discessit ***Bernhardyus*** in ***Suid.*** v. ***Διογενειανός***. Res sic est comparata, ut non efficias, quid verum sit quid non verum, sed id unum, quid magis et quid minus probabile sit. Iam vero me quidem iudice credibilius est ab Suida eiusdem operis, si duplex fuerit inscriptio, titulum unum commemorari, alterum omitti, quam operum duorum eo loco, ubi libros Diogeniani data opera recenseat, illud neglegi, quod Diogenianus suo Marte condiderit, hoc vero non neglegi, in quo epitomatorem tantum se praebuerit. Quod autem Hesychius in ***Περιεργοπενήτων*** lexico ***non solum*** Homericas, tragicas, comicas et lyricas ***sed etiam rhetoricas, medicas et historicas*** infuisse denique nullas omnino neque veterum neque aequalium glossas in eo neglectas esse narrat, non putandum est repugnare Photii testimonio, qui tum cod. 145. ***τὴν Διογενιανῷ ἐκπονηθεῖσαν συλλογὴν τὸ πλεῖστον τοῦ ποιητικοῦ εἶναι,*** tum cod. 149. Pollionis lexico multas quidem inesse testatur poe-

Vestinus sophista glossarum Pamphili epitomen libris quattuor scripsit, eius non frequentem usum fuisse eo probari videtur, quod eius memoria rarissima extat, neque fere nisi apud unum Suidam[181]).

Sed redeo ad ipsum Pamphilum. Huius igitur etiam *Ἀττικαὶ λέξεις* commemorantur[182]), quae fuerintne ab libris *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων* separatae, an horum partem effecerint, nescio. — Post Pamphilum nominandus est Pollio, Alexandrinus philosophus, quippe qui praeter philosophicos aliquos libros etiam *Ἀττικῶν λέξεων συναγωγὴν κατὰ στοιχεῖον*[183]) litteris mandaverit; id lexicon multas quidem habere poeticas glossas, pauciores tamen quam quod Diogenianus confecerit, testatur Photius; probabile est igitur Pollionem priorem fuisse Diogeniano; Pollio autem incertum est quidem utrum ipse in Hadriani aetatem inciderit, an eius filius, Valerius Diodorus, qui eorum, quae in decem oratoribus dubia esse putantur, explicationem scripsit; sed hoc similius est veri[184]); nisi uterque sub eodem vixit imperatore.— Qui Pollioni proximus est, Phrynichus, quamquam satis magno spatio etiam hic ab eo distat, Arabii cognomen, quo et ab Photio et in codice sophistici apparatus dicitur, qua re meruerit nescio; nam Bithynus erat origine; is sophista Marco et Commodo imperantibus florebat, Commodo, qui regnare coepit anno centesimo et octogesimo p. Chr. n., magnum opus sophistici apparatus inscripsit, cuius singulos libros singulatim amicis quibusdam dedicavit. Id libris constitisse triginta sex Photius eo loco scribit, quo eius argumentum data opera exponit; Photio autem, quippe qui illud suis ipsius manibus tractaverit, plus tribuendum est quam incertis quibusdam scriptoribus apud Suidam, quorum alii libris id quadraginta septem, alii septuaginta septem descriptum fuisse volunt. Comprehendebantur eo opere non tantum singulares voces, sed coniuncta etiam nomina et extentae ad incisa usque comprehensiones. Praeterea etiam *Τιθεμένων συναγωγὴν* et *Ἀττικιστήν* — Phrynichus inter Atticistas familiam duxit — et duos[185]) libros Atti-

---

ticas glossas, pauciores autem quam Diogeniani lexico, tum in praefatione suo ipsius lexico praemissa haec habet: *αἱ τῶν λέξεων πλείους περὶ ἃς τὸ ποιητικὸν νέμεται ἔθνος, — Διογενιανῷ συνελέγησαν.* Neque enim haec eam vim habent, ut quod Photius significet lexicon, ad *solas* poeticas, sed ut ad has *potissimum* pertinuisse credamus. Quod vero *λέξιν παντοδαπὴν* Suidas *tradit*, *Περιεργοπενήτων* lexicon Hesychius *non tradit* in libros descriptum fuisse, nequaquam probat utriusque *non eandem fuisse descriptionem.* Illud denique quod Hesychius Pamphili nomen plane tacet atque ita omnia ad Diogenianum refert, ut ne verbo quidem significet, hunc alii sua debuisse, apud me eo minus valet, quod ne Photius quidem quod ipse commemorat Diogeniani lexicon ita adornatum fuisse tradit, ab Photio autem non aliud significari lexicon Diogeniani quam quae epitome fuerit Pamphilei, id vero dubitationem non patitur. [181]) Cf. *Suid.* v. *Οὐηστῖνος*, tabulamque scriptorum Suidae praemissam et *Schol. Greg. Nazianz.* quod not. 171. posuimus. [182]) *Athen.* XI, 495, f. [183]) Eo titulo ab *Suida* v. *Πωλίων* et in tabula Suidae praemissa id lexicon significatur, quod apud eundem *Suid.* v. *Διόδωρος* simpliciter *Ἀττικὴ λέξις*, ab Photio autem cod. 149. *Πολλίωνος λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον* appellatur. [184]) Apud *Suidam* v. *Πωλίων* pater dicitur *γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ*, apud *eundem* v. *Διόδωρος* filius narratur *γεγονὼς ἐπὶ τοῦ Καίσαρος Ἀδριανοῦ.* Ut Suidas ne secum pugnet, si omnino ita scribens secum pugnat, transpositio videtur priori loco adhibenda et pro *Πωλίων Ἀλεξανδρεὺς ὁ Οὐαλέριος χρηματίσας, φιλόσοφος γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ οὗ παῖς Διόδωρος φιλόσοφος, ὁ γράψας κτλ.* ita rescribendum esse, ut verba *γεγ. ἐπὶ Ἀδριανοῦ* ab priore voce *φιλόσοφος* revocentur ad posteriorem. Ea ratio mihi magis placet, quam ut v. *Διόδωρος* rescribatur *γεγονότος* pro *γεγονώς.* [185]) At tribus libris opus *Ἀττικῶν ὀνομάτων* fuisse descriptum, eo probari videtur quod in Phrynichi epitome (p. 443. Lobeck.) extat „*Ἀρχὴ τοῦ γ'.*" De Phrynicho eiusque sophistico apparatu cf. *Meineke.* fragm. Comic. IV, p. VI. sq.

carum vocum (*Ἀττικῶν ὀνομάτων β'*) scripsit. Verum ut sophisticus apparatus qualis fuerit cognoscere licet ex eius sive epitome sive fragmentis, quae Im. Bekkerus (in prima parte Anecdotorum) publici iuris fecit, ita librorum, qui Atticas voces comprehenderant, naturam et indolem quae aetatem tulerunt Phrynichi et epitome et *ἐκλογὴ ῥημάτων καὶ ὀνομάτων Ἀττικῶν* docent. His enim primum docetur eos libros inscriptos fuisse Corneliano cuidam, qui princeps eruditionis clarissimusque vir ibi (p. **418**. Lobeck.) appellatur atque cum in omni eruditione excelluisse tum in verborum delectu praestitisse reliquis, ab imperatoribus autem (id est, ni fallor, ab Marco et Commodo) Graeciae praepositus atque epistolis (sine dubio graecis) adhibitus fuisse dicitur (p. **379. 418. 225.**); deinde iisdem probatur ita eos comparatos fuisse, ut docerent et quae verba ut *ἀδόκιμα, βάρβαρα, ἀμαθῆ, ἀλλόκοτα, τελέως ἐξίτηλα* (**303**), *διεφθαρμένα, κίβδηλα* (**300**), *ἐσχάτως ἀδόκιμα* (**26**), *πάνυ ἀμαθῶς* (**27**), *οὐκ ὀρθῶς λεγόμενα, ποιητικὰ μὴ πολιτικά* fugienda, et quae ut *δόκιμα*, ut *ἀρχαῖα* imitanda essent; id autem sic factum esse, ut reprehenderetur non tantum si quid ab aequalibus esset dictum, quod vituperandum videretur, veluti ab Phavorino (huius oratio maxime omnium exagitatur), ab Plutarcho, ab Alexandro Syro sophista, ab Antiocho sophista, ab Lolliano sophista, ab Polemone Ionico sophista, sed ne superioribus quidem aetate parceretur; sic Menander semel quidem in usu *λιβανωτοῦ* verbi probatur (p. **187**.), in reliquis vero locis vehementer reprehenditur, vehementissime p. **416. 418. 440. 442.** (ubi est: *τοῦθ' οὕτως ἀδόκιμον, ὡς οὐδὲ Μένανδρον αὐτῷ χρήσασθαι*); hinc opponitur nunc *τοῖς ἀρχαίοις* (p. **196. 331. 415.** sq. **425.**), nunc *τοῖς δοκίμοις* (**363. 387. 425.**) atque coniungitur cum *τοῖς πολλοῖς* (**442.**) Non magis parcitur Antiphani (p. **333.**), Philippidi (p. **363.**), Hyperidi (**333.**), Aristoteli, Chrysippo. Atque haec de Phrynicho. — Contra Phrynichum Suidas auctor est Orum scripsisse Alexandrinum; id ad Milesium esse referendum, qui altero p. Chr. saeculo vixerit neque distinguendum ab *Ἀττικῶν λέξεων συναγωγῇ*, quam Orioni Alexandrino tribuat Suidas, probabiliter statuit Ritschelius[186]). — Post hos nominandi videntur Galenus, Lupercus et Mnaseas Berytii, atque Longinus. Eorum enim Galenus, cuius aetas fere intra annos CXXXI. et CC. p. Chr. cadit, praeter glossarum Hippocratis, praeter vocabulorum Aristophanis, Eupolidis, Cratini aliorumque comicorum enarrationes, quas mox commemorabimus, etiam explicationem *τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς συγγραφεῦσι ὀνομάτων* scripsit libris[187]) quadraginta octo; Lupercus vero Berytius, quem paullo ante Claudii secundi tempora i. e. ante annum CCLXVII. p. Chr. vixisse Suidas auctor est, cum alia scriberet, quae ad grammaticam artem spectabant, in quibus Herodiani potissimum praecepta probasse videtur, tum Atticas dictiones[188]) edidit; similiter Mnaseas[189]), ipsius popularis *περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων* commentatus esse dicitur. Denique Dionysius Cassius Longinus, qui anno ducentesimo septuagesimo tertio p. Chr. affectus est ultimo supplicio, Atticarum dictionum duplicem editionem ad litterarum ordinem adornatam vulgavit[190]). Hactenus. Inferius enim descendere et Atti-

---

[186]) **Ritschel.** in comment de Oro p. 36. [187]) Cf. *Galen.* de libris suis c. 18. T. XIX. p. 48. et de ordin. libror. suor. p. 61. ed. Kuehn. [188]) *Ἀττικαὶ λέξεις* tum apud **Suidam** v. *Λούπερκος* (ubi pro *ἐν οἷς πολλὰ κατευδοκιμεῖ Ἡρωδιανοῦ* scribendum videtur: *κατευδοκεῖ*), tum in indice scriptorum Suidae praemisso commemorantur, quamquam huic nemo temere crediderit ab Suida in lexico consarcinando ipsas Luperci et Longini dictiones Atticas esse in partes vocatas. [189]) *Suid.* v. *Μνασέας*. [190]) *Suid.* *Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεις β'. εἰσὶ δὲ κατὰ στοιχεῖον.*

cistas persequi reliquos eo minus necessarium est, quod ab re, quam nunc agimus, alieniores sunt; neque enim illi in verborum explicatione et significatione elaborabant sed id potius agebant, ut docerent nunc quae voces, nunc quae vocum sive formae sive significationes propriae Atticorum essent, easque distinguerent ab iis vocibus vocumve formis et significationibus, quae ad communem sermonem posteriorum Graecorum sive solum, sive certe non minus ad hunc quam ad illorum sermonem pertinerent. Itaque Moeridis Atticistae *Λέξεις Ἀττικῶν καὶ Ἑλλήνων*, Thomae Magistri sive Theoduli Monachi *Ἀττίδος διαλέκτου ἐκλογάς*, Moschopuli *ὀνομάτων Ἀττικῶν συλλογήν*, Christoduli Magistri quae in MSS. Neapolitanis extat collectionem et alia eiusdem farinae silentio praetermittimus.

V.

Quod vero ad *unius sive poetae sive scriptoris vel poetarum scriptorumque generis* vocabula obscuriora et obsoleta, initium facimus ab Homericis glossis. Eas iam multum ante Aristophanis comici tempora ab grammatistis in litterariis ludis enarratas, litteris autem earum explicationes iam Democritum Abderitam mandare aggressum esse, Philetam vero Coum diligentiorem operam in iis enarrandis posuisse supra (p. V. sq. p. X.) narravimus; etiam Parmenionem glossographum breviter significavimus (not. **125**.). Illis fortasse proximus aetate est Zenodotus Alexandrinus, quem cognomine fuisse *τοῦ ἐν ἄστει* librumque de Homerica consuetudine (*περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας*) edidisse Suidas (s. v.) auctor est; probabile est enim hunc Zenodotum non esse diversum ab eo, qui et *Κρατήτειος* dicebatur et *Μαλλώτης*, sive quod Cratete Mallota magistro esset usus, sive quod domicilio quidem Alexandrinus, patria autem Mallotes esset; id probabile dixi, quia ut Crates cum Aristarcho simultatem exercebat, ita hic Zenodotus *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ* scripsit[191]). Verum cum bis in scholiis Homericis (*ϱ*. **263**. *σ*, **22**.), ut apud Apollonium (v. *ζῶστρα* pag. **384**. Villois.), *Zenodori* quaedam explicationes verborum commemorentur, quin semel[192]) etiam diserte dicatur *Ζηνωδώρῳ τῷ συγγράψαντι περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας τὰ δέκα βιβλία*, ubi articulus satis probat non ignobiles eos fuisse libros, neque credibile sit de eodem argumento esse non minus Zenodorum quam Zenodotum commentatum: alii Zenodotum Suidae, alii Zenodorum scholiorum Homericorum et Apollonii praetulerunt[193]); cum in utramque sententiam non pauca possint dici, in utram discedendum sit, mihi non magis constat, quam nupero Suidae editori constitit. Hoc loco non praetereundus est, quem iam saepius nominavimus, Tryphon Alexandrinus, qui Augusto imperante vixit et de dialectis Homeri, Simonidis, Pindari, Alcmanis et reliquorum lyricorum scripsit[194]), in

---

Cf. ***Ruhnken.*** de vit. et scriptis Longin. p. CII. ed. Lips. [191]) Cf. quos excitat ***Clinton.*** F. H. 3, 491. [192]) *Schol.* Il. *Σ*, 356. p. 499, b. 30, ubi Cod. Leid. habet *Ζηνοδότῳ*. [193]) Zenodorum praetulerunt ***Villoison.*** (Prolegom. in Apollon. p. XVII.) et ***Muetzelius*** meus (de emendat. theogon. p. 281.) Contra cum Scholiis Homericis fecerunt ***F. A. Wolfius*** (Prolegom. p. CXCVI.) et ***Lehrsius*** (de Aristarch. stud. Homeric. p. 228.) [194]) ***Suid.*** s. v. *Τρύφων — περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ διαλέκτων καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Πινδάρῳ καὶ Ἀλκμᾶνι καὶ τοῖς ἄλλοις λυρικοῖς.*

quibus libris probabile est etiam verborum interpretationi aliquem locum esse datum. Eorum autem, qui post Aristarchum in eodem studiorum genere versabantur, imprimis nominandi sunt Heliodorus et Apion; hi, ubi Homerica agitur explicatio, plerumque significantur, quotiens grammatici, praesertim Apollonius et scholiastae Homerici atque Eustathius, communi indice *τῶν γλωσσογράφων* utuntur; nam ubi non de Homero agitur, eo titulo alii significantur [195]). Heliodori vero et Apionis memoriae apud Apollonium, apud scholiastas Homeri, apud Hesychium, apud Eustathium [196]) ita plerumque coniunctae, rarius discretae extant, ut qui eorum aetate posterior sit, eas, quas ex superioris aetate explicationibus probasset, non mutatas repetivisse, et eas solas immutasse videatur, in quibus ab superioris sententia recessisset [197]). At vero uter eorum fuerit aetate prior, uter posterior, ignoramus; nam de Heliodori aetate nihil fere constat, nisi eum ut Aristarcho posteriorem, ita Apollonio sophista, a quo saepe in partes vocetur, priorem fuisse; at tamen mihi quoque Heliodorus antiquior videtur. — Apio autem Plistonices Lehrsii [198]) egregia commentatione accuratius nobis cognitus est. Erat igitur ille Alexandrinus grammaticus, qui Romae artem sub Tiberio et Claudio docebat, successor factus Theonis grammatici, suppar Dionysio Halicarnassensi; magistris usus erat Didymo et Apollonio Archibii filio, etiam Euphranore, cum hic centenario esset maior; ex iis autem, qui ipsi se in disciplinam tradiderant, imprimis nominatur Anteros; Apio magna erat doctrina nec mediocri facundia, maiore tamen iactantia; nam ad ridiculum ventosus admirationem captabat incredibilium narratione; *Μόχθου* et Homerici cognomina, quae ipsi in grammaticorum libris tribuntur, utrum studiorum ratione an aliis rebus meruerit, non certo constat; ad posteritatis memoriam ut perveniret, varia eius diffusaque doctrina et aliquanto magis odium effecit, quo Iudaeos insectabatur, quos ut apud Caligulam imperatorem accusaret, ab Alexandrinis, civibus suis, electus erat. — Apionis glossis Homericis nihil est omnino quo frequentius utatur Apollonius sophista in lexico Homerico. Id autem lexicon ad Apollonium eum, qui sub Augusto floruit, Archibii filium, Apollonii nepotem, Dionysii Thracis aequalem Villoisonus rettulit, in cuius sententiam plerique omnes discesserunt, neque pauca sunt, quae eam commendent; primum enim Apollonium Archebii (i. e. Archibii) sive Archebuli de dictionibus Homericis ordine litterarum scripsisse Suidas [199]) auctor est; deinde quae idem Suidas v. *μετά* de huius praepositionis significationibus ab Apollonio Archibii filio doceri tradit, magnam partem cum iis conveniunt, quae in Apollonii sophistae lexico Homerico (p. **546.** Villois.) extant; postremum Hesychius, qui in epistola ad Eulogium [200]) ab Apione et Apollonio Archibii filio solas Homericas glossas scriptas easque tum ab Diogeniano tum ab semetipso in ipsorum lexica receptas esse scribit (quamquam

---

[195]) Apud ***Harpocr.*** vv. *κύπασσις*, *σείρινα* (male ***Phot.***: *σειρῆνα*) et *φιμοί* qui excitantur *οἱ γλωσσογράφοι*, certe non sunt Heliodorus et Apio. [196]) Nam quod apud ***Eustathium*** legatur *Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος* aut *Ἡρόδωρος καὶ Ἀπίων*, id esse ad Heliodorum referendum post Valckenarium ***Ritschelius*** docuit de bibl. Alex. p. 143. sq. [197]) ***Ritschl.*** de biblioth. Alexandr. p. 141. sqq. ***Id.*** prooem. schol. Bonnens. 1840—41. p. X. [198]) ***Lehrs.*** quaestionn. epic. p. 1—43. [199]) ***Suid.*** s. v. *Ἀπολλώνιος Ἀρχεβούλου ἢ Ἀρχεβίου ἔγραψε περὶ λέξεων Ὁμηρικῶν κατὰ στοιχεῖον.* [200]) *ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας (λέξεις) ὡς Ἀπίων καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου (συντεθείκασι) — Διογενιανὸς δὲ — τά τε προειρημένα βιβλία καὶ πάσας τὰς — λέξεις συναγαγὼν — συντέθεικε, λέγω δὴ τάς τε Ὁμηρικὰς κτλ.*

* * * *

in ea, quam lexico suo dedit inscriptionem, *Ἡσυχίου γραμματικοῦ συναγωγὴ πασῶν λέξεων κατὰ στοιχεῖον ἐκ τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀπίωνος καὶ Ἡλιοδώρου*, Apollonii nomen omisit), Hesychius igitur in glossis Homericis explicandis non mediocriter cum Apollonio sophista conspirat, nisi quod nunc in brevius contraxit, quae Apollonius habet dilatata oratione, nunc amplior est, ubi in eadem caussa alios quoque duces, veluti Apionem, secutus esse videtur. Unum tamen est, quod retineat assensum; cum enim, ut iam commemoravi, in Apollonii sophistae lexico unius Apionis memoria frequentior extet quam reliquorum omnium grammaticorum, si Apollonius is non diversus est ab Apionis magistro, necesse est Homericas glossas discipulus scripserit adolescentulus, magister provectior aetate in suum opus transtulerit, id quod nec per se probabile neque tamen tale est, quod fieri omnino non potuerit. — Incerta aetas est et Clearchi, cuius glossae in scholiis Homericis semel commemorantur[201]) et Philoxeni Alexandrini, cuius iam bis[202]) mentionem iniecimus; hic de glossis Homeri (*περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν*) scripsit, eum autem librum in epitomen redegit Aelius Serenus[203]). — Hoc loco dicendus etiam esset Herodianus, Apollonii Dyscoli filius, modo constaret, id quod in dubitationem nuper vocavit Lehrsius[204]), epimerismos, qui olim eius sub nomine lati essent (namque de iis, qui nunc nomen mentiuntur, non agitur), interpolatos tantum aliorum additamentis neque tamen suppositos esse omnes; in his enim singula Homericorum carminum vocabula non tantum ad suas partes orationis revocabantur, sed etiam quae eorum et originationes et significationes essent, docebatur. — Cassius Longinus, quem Aurelianus imperator extremo supplicio affecit, cum alia scripsit quae ad Homerum pertinerent, tum quattuor libros[205]) de vocabulis Homericis quae multiplicis essent significatus (*περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων*). — Huius discipulus Porphyrius ut alia multa, quae ad Homeri explicationem spectabant, ita etiam de nominibus ab Homero amissis (*περὶ τῶν παραλελειμμένων τῷ ποιητῇ ὀνομάτων*) scripsit[206]). — Cratinus in epitome librorum Basilidae de dictione Homerica commemoratur[207]); sed neque Basilides neque Cratinus aliunde mihi noti; Basiliden enim Stoicum ut cognominem Epicureum temporum, Basiliden Aegyptium gnosticum, qui sub Hadriano vixit, studiorum ratio excludit; cogitavi de Basilida Milesio sophista, cui, ut Photius scribit, Phrynichus unum librorum suorum dedicavit, aut de B. patre Sallustii philosophi; sed nimis incertae huiusmodi coniecturae. Ab Etymologo etiam lexicon Iliadis et primi libri Iliadis commemoratur[208]). Atque haec de Homericarum glossarum explicatione.

Quod ad reliquos poetas, *Antimachi λέξεις* Longinus[209]) explicavit; *lyricorum* elocutionem haud scio an Trypho toties iam nobis dictus eo commentario

---

201) *Schol.* Il. *Ψ*, 81 p. 606, b, 32. ed. Bekk. 202) Cf. not. 122. et 130. 203) *Suid.* vv. *Φιλόξενος* et *Σερῆνος*. 204) Cf. not. 127. 205) *Suid.* v. *Λογγῖνος*. 206) *Schol. Hom.* Il. *Γ*. 250 p. 109, b. 1. Breviter *Πορφύριος ἐν τοῖς παραλελειμμένοις* excitatur ib. v. 314. p. 112, a, 10. 207) *Etym. M.* 142, 29 *Κρατῖνος ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Βασιλείδου περὶ Ὁμηρικῆς λέξεως*. De nominis forma cf. *Ebert.* diss. Sicul. p. 97. Basiliden stoicum memorat *Sext. Empir.* adv. Mathem. p. 507., Epicureum *Diog. Laert.* X, 25, gnosticum *Clem. Al.* stromat. II, 4. *Euseb.* H. E. IV, 17. et alii ecclesiasticae historicae scriptores, Basiliden patrem Sallustii *Suid.* s. v. 208) *Etym. M.* 416, 20. 553, 7. 744, 40. 209) *Suid.* s. v. „*Λέξεις Ἀντιμάχου καὶ* („*κατὰ*“ coni. Hemsterh.) *Ἡρακλέωνος*.“ De grammaticis, quibus erat Heracleonis nomen, dixi commentatione p. XII. sq.

illustraverit, quem de Simonidis, de Pindari, de Alcmanis et de reliquorum lyricorum *dialectis* perscripsit. — Qui Tryphoni aequalis erat, Didymus (nam uterque sub Augusto vixit), *tragicam* elocutionem opere amplissimi ambitus (nam eius duodetricesimus liber ab Harpocratione [210]) in partes vocatur), *Aeschyli* autem *λέξιν* singulari libro Diogenianus [211]) enarravit. — *Comoediae* quae verba propria essent et obscuriora, ab Lycophrone et Eratosthene esse exposita iam in priore commentatione commemoravimus; Apollodorus autem Atheniensis [212]) tum in decem libris, quos de Epicharmo, tum in commentariis, quos in Sophronis mimos scripsit, verba enarravit, quae quidem glossematica et obscuriora essent. Illis accessit Didymi, diligentissimi hominis, etiam hoc in genere spectata industria; huius *κωμικὴν λέξιν* [213]) credibile est non minus late patuisse quam eiusdem *τραγικὴν λέξιν*, quamquam cum idem Didymus multos comicos poetas commentariis illustraverit, veluti Cratinum, Phrynichum, Eupolidem [214]), Aristophanem [215]), Menandrum, quas verborum enarrationes tamquam ab Didymo profectas commemorant scholiastae et lexicographi, non constat certo utrum in Didymi lexico comico an in illis commentariis traditae fuerint; illud autem ex Athenaeo [216]) colligi licet, verborum significationes illum adhibitis poetarum scriptorumque testimoniis illustrasse. — Cum Didymo Hesychius Theonem ita coniungit, ut dubitationi locus sit, Theo solasne tragicas an solas comicas, an, id quod sane credibilius est, non minus quam Didymus utrasque diversis lexicis explicaverit [217]). — Epithersen grammaticum de vocibus Atticis et comicis atque tragicis scripsisse Stephanus Byzantius [218]) memorat; id fueritne unum opus, quod tribus partibus esset descriptum, an tria diversa opera, dubites merito. Epithersis autem, si quidem nomen recte repositum est apud Erotianum (p. 88. ed. Franz.), ubi in codice extat *Θέρσις ἐν δευτέρῳ τῶν λέξεων*, aetas etiam eatenus certe patet, ut non possit Nerone posterior esse, sub quo ipse vixit Erotianus; neque caussae quidquam est, quod hunc Epithersen distinguas ab Epitherse patre Aemiliani rhetoris et *διδασκάλῳ γραμματικῶν*, quem quiddam quod ad Tiberii imperatoris tempora pertinet narrantem facit Plutarchus [219]). — Post illos Palamedes dicendus est grammaticus, Athenaei Naucratitae aequalis, abs quo semel [220]) inter deipnosophistas nomina-

---

[210]) ***Harpocr.*** v. ξηραλοιφεῖν — *Δίδυμος ἐν κή τραγικῆς λέξεως.* Cf. ***Ranke.*** de Hesych. p. 134. sq. Quod in ***Bekk. Anecd.*** 334,1 excitatur *Δίδυμος ἐν τῇ τροπικῇ λέξει*, fortasse verum est (namque *τροπικὴν λέξιν* et alii commemorant et ***Dionys. Halic.*** de vett. scriptorr. censur. p. 422. de iis quae Thucyd. propr. sunt, p. 790., eam autem singulari libro complecti certe minus mirum, quam singularia lexica *καθαρᾶς* aut *σεμνῆς ἰδέας* aut *λόγου πολιτικοῦ* scribere, id quod factum esse docet ***Phot.*** codd. 146. sqq.); videndum tamen est, sitne *τραγικῇ* reponendum. [211]) ***Bekk.*** Anecd. 1073. [212]) Cf. ***Heyne.*** Apollodor. p. 438. sqq. [213]) ***Hesych.*** epistol. ad Eulog. *οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικὰς (συντεθείκασι λέξεις), ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι.* ***Etym. M.*** 492, 52. *ὁ δὲ Δίδυμος — φησὶ γὰρ ἐν τῷ κωμικῷ.* Eadem habet ***Etym. Gud.*** 401, 40. Cf. ***Meineke.*** hist. crit. p. 14. ***Bergk.*** commentt. p. 66. ***Otto Schneider.*** de veter. in Aristophan. scholior. p. 95. [214]) Eupolidem dubitanter adieci; cf. ***Otto Schneider.*** p. 16. [215]) ***Otto Schneider.*** p. 59. sqq. 97. sq. [216]) ***Athen.*** XI, 487, c. *Παρέθετο τὰ ἰαμβεῖα καὶ Δίδυμος καὶ Πάμφιλος.* Neque enim dubium est haec ad comicum lexicon esse referenda. [217]) Cf. ***Ruhnken.*** praef. in Hesych. T. II. p. IX. sq. ***Welcker.*** in Mus. Rhen. 2, 287. [218]) ***Steph. Byz.*** v. *Νίκαια — Ἐπιθέρσης γραμματικὸς γράψας περὶ λέξεων Ἀττικῶν καὶ κωμικῶν καὶ τραγικῶν.* [219]) ***Plutarch.*** defect. oraculor. T. 9. p. 327. Hutt. Cf. ***Meineke.*** l. c. p. 15. [220]) ***Athen.*** IX, 397, a. Cf. ***Schweighaeuser.*** in Athen. T. I. p. 24.

tur; eo loco duobus notatur cognominibus ὁ Ἐλεατικὸς Παλαμήδης ὀνοματολόγος; eorum prius, quo Suidas quoque utitur, non esse ad patriam originemque hominis referendum, sed ad eius acumen sollertiamque in glossis explicandis comprobatam Boeckhius[221]) docuit; id vero utrum fuerit ita in vulgus receptum, ut Palamedes eodem ab aliis quoque eruditis viris significatus sit, an Athenaeo proprium, qui hoc leporis genus imitando a Platone derivarit nescio; alterum cognomen libro videtur deberi, cui „Ὀνοματολόγῳ" inscripsisse Palamedem Suidas auctor est; Suidae enim nihil est quod fidem ea in re non habeamus; quamquam non nego aut Athenaeo satis iam fuisse caussae cur illum ὀνοματολόγον diceret, quod scenica collegisset vocabula, aut Suidam Athenaei voce ita falli potuisse, ut singularem librum eo titulo inscriptum fingeret. Nam κωμικὴν καὶ τραγικὴν λέξιν edidisse Palamedem et idem Suidas narrat, et Etymologus[222]) confirmat; et quae quattuor explicationes in scholiis Aristophaneis[223]) ad Palamedem referuntur vocum λεπαστή, πύον et πυριάτης, ἔνδειξις, Καννάκης, eas in comico lexico extitisse credibile est, verborum autem στόλος et παραβλήδην interpretationes, quas scholiastae in Apollonium[224]) tamquam a Palamede profectas habent, dubites utrum in tragico lexico an in Onomatologo locum habuerint. — Quod autem tum in scholiis in Aristophanem legitur[225]) nunc ὡς κεῖται ἐν τῇ κωμικῇ λέξει, nunc[226]) ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν γράψας, tum in scholiis in Apollonium extat modo[227]) οὕτως ἦν ἐν τῇ κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ, modo[228]) ἐν δὲ τῷ κωμικῷ λεξικῷ, eo Hemsterhusius[229]) Palamedis, O. Schneider[220]) Didymi lexicon comicum significari credit; mihi ne illud quidem constat, idemne liber omnibus illis locis significetur, nedum sitne Palamedeus an Didymeus, an alius, cuius fortasse interciderit memoria. — Reliquus est Galenus; duos hic[221]) libros scripsit τῶν παρὰ Κρατίνῳ πολιτικῶν ὀνομάτων, tres τῶν παρ' Εὐπολίδι, quinque τῶν παρ' Ἀριστοφάνει, unum τῶν ἰδίων κωμικῶν ὀνομάτων παραδείγματα.

Iam vero missis poetis ad *prosae orationis scriptores* pervenimus. Eorum fere nullus est, cuius elocutio tot doctos homines exercuerit, quot *Hippocrates* Cous, medicinae graecae pater et auctor. Postquam enim sive Callimachus Herophileus, sive Xenocritus Cous grammaticus glossas Hippocratis explicare instituit, quorum illum Apollonius Cittieus, hunc Heraclides Tarentinus auctor est primum eo in genere desudasse, quot tum grammatici tum medici eandem susceperint provinciam, ex praefatione apparet, quam Erotianus suo Hippocratis glossario praemisit. Ex tot autem operibus duo tantum tulerunt aetatem, Galeni τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις et συναγωγὴ τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων, cuius auctorem codd. quidem mss. quod sciam omnes Erotianum probo graecoque nomine[222]) appellant, Herodianum autem fuisse nonnulli, ut Io. Alb. Fabricius[222]),

---

[221]) *Boeckh.* Praef. in schol. Pind. XIX. [222]) *Etym. M.* p. 145, 44. ὥς φησι Παλαμήδης ἱστορικός (Boeckhio Ἐλεατικὸς reponenti refragatur Bernhardyus in Suid. s. v., nihil tamen extricans quod aut certius aut melius sit) ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών. Cf. *Eckstein.* in Encycl. Hal. III, 9. p. 424. [223]) *Schol.* in *Arist.* Pac. 882. Vesp. 710. 1108. 1122. [224]) *Schol.* in *Apoll. Rhod.* I, 704. III, 106. IV, 1563. [225]) *Schol.* in *Arist.* Plut. 313. [226]) *Schol.* in *Arist.* Pac. 922. Bekk. [227]) *Schol.* in *Apoll.* IV, 972. [228]) Ibid. 1614. *Invernizzius* Praefat. in Aristoph. p XXVII. ex codd. Vatican. reponit: τῇ κωμικῇ λέξει. [229]) T. H. in *Aristoph. Plut.* p. 98. [220]) *O. Schneider.* p. 95. Cf. *Meineke.* hist. cr. p. 18. sq. [221]) *Galen.* de libr. suis T. XIX. p. 48. Kuehn. [222]) „Erotianus" est in *Gruter.* C. I. 393, 1. „Erotiane" ib. 1052, 3. Ἐρώτιος *Boeckh.* C. I. Gr. no. 405. Ἐρωτίας ib. no. 165. [233]) Cf. *Fabric.* bibl. Gr. VI, 234. Harl.

propterea coniecerunt, quod *Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἐξηγήσεως τῶν λέξεων Ἱπποκράτους* ab Etymologo Magno[234]) in *ἄμποτις* in partes vocetur; quae vox cum hodie non extet in Erotiano, necesse erat coniecturae coniecturam superstruere, et contendere perisse partem eam Erotiani, in qua extitisset; quasi vero non minus Erotianus quam Herodianus eam suscipere potuerit provinciam, aut si alter locus ad alterum immutandus est, non credibilius sit ab librario vulgare Herodiani nomen pro minus noto Erotiani nomine, quam contra hoc pro illo et in ipso libri indice esse repositum. Utut est, cum id glossarium „Andromacho archiatro“ inscriptum sit, is autem non diversus videatur ab nobili Neronis archiatro Andromacho Cretensi, qui tres libros de medicamentorum viribus scripsit medicamentaque et emplastra non pauca composuit atque saepissime ab Galeno et Aetio memoratur, si Herodianus glossarii auctor erat, certe distinguendus est ab claro grammatico, Apollonii Dyscoli filio, qui sub Marco Antonino floruit. Ceterum glossarii non solum ordo qui nunc est, sed omnis forma multum discrepare videtur ab primigenia, id quod praefatio ipsa probat. —

Quod ad *philosophos*, *Democriti* glossas Callimachus, *Platonis λέξεις* Harpocratio Argivus Caesaris familiaris duobus libris enarravit[235]); in hoc argumento elaboraverunt etiam Clemens[236]) et Boethus, quorum hic[237]) non solum *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων* librum Athenagorae inscriptum sed etiam *λέξεων Πλατωνικῶν συναγωγὴν κατὰ στοιχεῖον* Melanthae dedicatam edidit, quam Photius utilitate multum praestare censet Timaei collectioni, quae hodieque extat.

Quod de *rerum scriptoribus*, *Herodoti* glossas Apollonius[238]) nescio quis explicavit; cogitabam de Apollonio Chaeridis aut de Apollonio Archibii, postremum de Apollonio Dyscolo, Herodiani patre, qui Hadriani et Antonini Pii temporibus Alexandriae docuit; neque enim glossarum Herodotearum enarratio ab eius studiorum genere plane abhorrere videtur, quem scimus[239]) *Ὀνοματικόν, περὶ ὀνομάτων κατὰ διάλεκτον* atque de dialectis Dorica, Ionica, Aeolica et Attica esse commentatum, quamquam non nego his libris minus verborum significationes quam grammaticam nominum formandorum rationem spectatam esse. Philemonem quoque in Miscellaneis sive *Συμμίκτοις* verborum Herodoteorum explanationem dedisse Porphyrius[240]) fidem facere videtur. Quae autem aetatem tulerunt glossae Herodoteae ad librorum Herodoti ordinem descriptae paucissimae numero neque constat ad quem sint referendae et doctrinam tam modicam vel potius nullam sapiunt, ut infima aetate dignae sint. — In *Thucydidis* enarratione veteres grammaticos non indiligentem operam posuisse iam sua sponte credibile est, cum tot Thucydidi[241]) sint voces vocumque formae et structurae vel poeticae, vel obsoletae, vel intellectu difficiles, vel ipsi adeo peculiares, ut iis aut unus aut

---

[234]) *Etym. M.* p. 87, 4. *Boisson.* Anecd. II, 428. [235]) *Suid.* s. v. [236]) Hic ter ab Suida, semel ab Etymologo in explicatione vocum Platonicarum in partes vocatur; cf. *Ruhnken.* praef. in Timaei lex. Platon. p. X. [237]) *Phot.* cod. 154. 155. *Βόηθος ἐν τοῖς περὶ Πλάτωνος* ap. *Hesych.* v. *διὰ πάντων κριτής* excitatur; diversus hic est Boethus ab B. nobili Stoico, ab B. Sidonio, magistro Andronici Rhodii, a Flavio Boetho Peripatetico, de quibus consule *Menag.* in *Diog. Laert.* VII, 143. [238]) *Etym. M.* v. *σοφιστής* p. 722, 21. *Ἀπολλώνιος ἐν ἐξηγήσει τῶν Ἡροδότου γλωσσῶν. Id.* v. *κωφός* p. 552, 6. *Ἀπολλώνιος ἐν ταῖς γλώσσαις.* [239]) Cf. *Suid.* s. v. [240]) *Porphyr.* Quaest. Homeric. VIII. [241]) Cf. *Poppo* Prolegom. in Thucyd. I, 1. p. 242—263.

*****

primus sit usus, denique tot vocabula, quibus ipse alias tribuat significationes quam reliqui scriptores vel omnes vel certe pedestris orationis. Certo autem constat de iis quae Thucydides contra analogiam peccasset (*περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδῃ*) Claudium Didymum[242]), de iis quae in illius elocutione in dubitationem vocata sint (*τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ ζητουμένων κατὰ λέξιν*) Euagoram[243]) Lindium scripsisse; ab his quod Suidas tamquam singulare opus distinguat *ζητήσεις κατὰ στοιχεῖον Θουκυδίδου*, minus recte eum fecisse iam Gaisfordus coniecit; probabile est enim eas *ζητήσεις* non alio quam ad *τὰ ζητούμενα κατὰ λέξιν* pertinuisse atque ad litterarum ordinem dispositas fuisse; haec vero non fuerint diversa ab *ταῖς ἐζητημέναις τῶν λέξεων*, quas noli cum Rankeo[244]) interpretari „*τὰς σπανίως εἰρημένας*" „contra usum et consuetudinem dictas," immo sic, ni fallor, voces potius dicebantur, quae, quod aliqua obscuritate laborabant atque explicationem dubiam habebant, ab non paucis in quaestionem vocabantur, id est vocabula, de quibus *ζητήσεις, ζητήματα, προβλήματα, ἐνστάσεις, ἀπορίαι, ἀπορήματα* ab grammaticis instituebantur[245]); ea genera vocabulorum non pauci commentariis illustrabant; ut enim „de obscuris Catonis" Verrius Flaccus, sic Parthenius[246]) *περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων ζητουμένων*, Philostratus[247]) *τὰ ζητούμενα παρὰ τοῖς ῥήτορσι*, Diodorus[248]) Pollionis f. *ἐξήγησιν τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς δέκα ῥήτορσι*, Boethus[249]) *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων*, Didymus[250]) denique *περὶ ἀπορουμένης λέξεως* scripsit. Redeo ad Thucydidem. Cum Marcellinus[251]) in vita Thucydidis aliquotiens, veluti propter gentis Thucydideae originem et prosapiam, propter patris nomen, propter mortem, quam is Athenis obisset, Didymo testimonium denunciet, nonnulli virorum doctorum ea ad Claudium Didymum rettulerunt, quem vidimus quaedam de dictione Thucydidis scripsisse; quodsi reputo Didymi ubi solum nomen ab grammaticis ponatur, eo illum Ciceronis aequalem, cui cognomen erat Chalcentero, significari, etiam illa ad Didymum Aristarcheum rettulerim, neque vero eum de vita tantum Thucydidis scripsisse crediderim sed vitae enarrationem quendam quasi ingressum fuisse commentarii, quo illius historias, certe earum elocutionemillustraverit.

Sed haec hactenus. Quod enim reliquum est, cives, post hiemem adeo fatalem nobis tum DELBRVECKII, viri tanta et in omnes humanitate et in rebus nostris procurandis fide atque industria, tum trium professorum obitu non possumus instantis aestatis scholarum tabulas vobis tradere, quin quorum nominibus nunc primum hae tabulae carebunt, eorum certe memoria prooemium ornemus tabulis praemittendum. — Verum SCHMELZERVS et VOIGTELIVS cum vulgares vitae terminos multum egressi naturae satisfecerint, desiderantur quidem ab suis, ab amicis et familiaribus, quibus autem nominibus de honestarum artium studiis et de hac schola meriti sint, quo magis prior aetas novit, eo minus fortasse haec iuventus persen-

---

242) *Suid.* s. v. *Δίδυμος ὁ Κλαύδιος.* 243) *Id.* v *Εὐαγόρας.* 244) *Ranke.* de Hesych. p. 25. 245) *Lehrs.* de Aristarch. p. 200. 246) *Athen.* XI, 467, c. 247) *Suid.* s. v. 248) *Suid.* s. v. *Πωλίων.* 249) *Phot.* cod. 155. 250) *Harpocr.* v. *δερμηστής.* 251) *Marcellin.* §. 3. 16. 22.

tiscit, eoque magis qui illis familiariter usi sunt, ad officii sui partes pertinere arbitrabuntur, non tacita tantum pietate defungi. In GVILELMO autem GESENIO quam cladem acceperit Fridericiana, vester dolor, vestrum desiderium testis luculentus est. Ille enim utut eruditorum hominum iudicio probatus famaque celebratus erat, utut sermonibus percrebruerat non Europae tantum, sed Americae quoque, et si quos Aegyptus*) nunc doctos coetus habet, magis tamen in ore et in oculis erat doctorum adolescentium, quibus contigit ut eo uterentur studiorum suorum duce et moderatore. Namque qui libros tantum ab eo editos cognorant, quibus nunc Hebraeorum vel artem grammaticam exposuit, vel verborum significationes enodavit, vel summum vatem et prophetam interpretatus est, vel antiquitates et historiam aperuit, nunc Phoenicum quae aetatem tulerunt monumenta explicavit, nunc ad abditas in tenebris aliorum orientis populorum linguas penetravit, mirabantur illi quidem singularem viri industriam, quae tot libris tantae molis intra paucos annos scribendis sufficeret, exquisitam doctrinam, praeclaram eruditionem, acutam et perspicacem ingenii naturam, raram perspicuitatem, rariorem etiam iudicii modestiam, intra iustos intellectus terminos se continentis neque scire gestientis etiam quae sciri nequirent. At vero qui vestrum, cives, scholis ab eo habitis intererant, neque illarum virtutum fructum non percipiebant et eas videbant, quas illi ignorant, eximias inquam magistri facultates, qui ad docendum, si quis alius, non factus, non institutus sed natura quasi ipsa formatus videbatur. Adeo ille adolescentes ad se allicere et ad eam, quam ipse profitebatur, artem vel invitos et ingratiis trahere, quos vero captasset, eos retinere, eorum ingenia incendere et acuere sciebat. Referebat enim quasi duplicem naturam, non minus cotis, quae ferrum acuit, quam acuti ferri. Neque erat quod mirarere aut tantum iuventutis studium, tam eximium et singulare excitasse eum, in quo nihil esset superciliorum, nihil simulatae gravitatis, nihil superbiae et fastus, qualis nonnumquam est doctorum hominum, nihil morosae tristitiae, nihil rugarum, nihil lenti tardique, denique nihil putidae diligentiae, qualis μικρολόγων est; aut maximo plausu amplissimi audientium consessus exceptum esse eum, cuius esset praeter singularem orationis evidentiam maxima oris gratia, summa sermonis festivitas, eximia dictorum elegantia, iuvenilem autem vigorem hilariores vultus alacresque corporis motus testarentur, denique qui tantum abesset ut cum iuvenibus, ut ne ab iuvenibus quidem discere dedignaretur.

Verum enim vero *Gesenium* si earum rerum nomine, quas vivus vidensque fecit et consecutus est, felicem, earum caussa, quas praematura morte vitavit, fortunatum praedicare licet. Taceo alia, verum contigit ei, ut paene ad ultimum halitum vitam suae arti consecraret, essetque ei idem fere dies extremus vitae, qui extremus studiorum; deinde ut perpetuo iis placeret, quibus placuisse, displiceret, quibus displicuisse non ultima laus est. Excessit autem vita sic, ut ingravescentis aetatis incommoda, ut aegrae valetudinis molestias, ut solitudinem senectutis, ut etiam tempestatum, si quae forte liberali studiorum disciplinae impendent, tristem adspectum effugeret, desiderium autem sui relinqueret paene

---

*) Quinto demum post Gesenii fatum mense redditae sunt litterae, quibus eum studiorum suorum socium cooptarunt eruditi Cairenses.

omni eruditorum orbi. Quid igitur est quod queramur immaturum interitum eius, qui satis vixit, ut donec bonis artibus, donec sacrarum litterarum studiis suus honor futurus sit, vivat in memoria posteritatis, in animis eruditorum hominum. Itaque, adulescentes optumi, tanti viri desiderium non querela lenietis, abs qua nemo erat ipso alienior, sed coletis eum primum memoria, deinde, quantum fieri poterit, imitatione. In id enim exemplum intuentes vitam consecrabitis non inertiae sed propagandis litterarum, proferendis scientiae finibus, neque patiemini ut per vestram ignaviam aut tenebrae iterum obducantur iis rebus, quas summorum hominum acumen illustravit, aut veritas detrimentum capiat vel per praeceptas opiniones, quae nudius tertius excogitatae, vel per errorum commenta, quae quadam quasi longi temporis praescriptione quibusdam augustiora videntur, denique spreta non minus *δοκησισόφων* sapientia et *ἀρεταλόγων* virtute quam fanaticorum furore et simulatorum prudenti pietate, qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt, quod sub eo magistro didicistis, etiam porro sapere audebitis. — Successorem autem cum desperemus *Gesenio* inveniri parem posse, ut ne tanto decessori plane impar neve hac litterarum luce indignus sit, id huius universitatis caussa vehementer optamus. Huic voto fiduciae robur addit, qui augusto praesidio et decori etiam Halanae artium palaestrae se futurum esse professus est. Valete.